

2

**H**

pleni

sum omnes de

um

qui in

guerra alle

ut in ore eorum om

ni

um

nia ut nominum sanctificationis su

ov

nicht in Ab

10

U. g. 17, 9



DEO. OPTIMO. MAXIMO. PRÆSIDE. SUPREMO

ANALYSIS. GROTIANÆ

DISSERTATIO. PRIMA

EXHIBENS

PERSPICVAM. PROLEGOMENORVM

INTERPRETATIONEM

DE

PRÆSTANTIA. SCIENTIÆ. IURIS. NA-

TVRALIS. AC. GENTIVM. HVJVSQ. ORIGINE

AC. EXISTENTIA. CAUSA. ITEM. OPERIS. IMPVLSIVÁ. LI-

BRORVM. OECONOMIA. PRÆSIDIIS. ATQ. AVXILIIS

IN. OPERE. CONSCRIBENDO. ADHIBITIS. ME-

THODO. DENIQ. AC. GENERE. DICEN-

DI. VSVRPATO

QVAM

SVB. PRÆSIDIO

ADAMI. CORTREJI. D.

PVBLICE. DISPVTO

FRIEDERICH. WILHELM. KRUEE

MAGDEBVRGENS.

RESPONDENS. PERPETVVS

AD. D. AVGVST.

JENÆ

X. OFFICINA. JOHANNIS. NISII

A. O. R. clē lcc LXV.

REVERENDISSIMI. SERENISS. ATQ. CELSISSIMI  
PRINCIPIS. AC. DOMINI

DNI. AVGVSTI

POSTVLATI. ADMINISTRATORIS  
ARCHIEPISCOPATVS. MAGDEBVRGENSIS

PRIMATIS. GERMANIÆ

DVCIS. SAXONIÆ

JVLIACI. CLIVIÆ. AC. BERGÆ

CONSILIARIO. SANCTIORI. ET. CAN.  
CELLARIO. SPLENDIDISSIMO

MERENTISSIMO

NVNC

AD. COMITIA. IMPERI. VNIVERSALIA

PLENIPOTENTIARIO. EMINENTISSIMO

VIRO

INLVSTRI. ATQ. MAGNIFICO.


DNO. JOHANNI. KRVLIO

JCTO. POLITICO. ATQ. ORATORI

CONSVMMATISSIMO

DOMINO. AC. PATRONO. MEO. SEMPITERNA  
PIETATE. OBSERVANDISSIMO

PRISCVM. FELICITER!



Non præfabor, in præ-  
senti, diu, Domine Obser-  
vandissime, quid sit quod  
hanc qualemcunque pa-  
ginam ad limina tua au-  
gusta adduxerit; Grati-  
am namque vestram il-  
lustrem, in quâ veneratio mea submis-  
sa requiescit, nominare satis erit. Paucissi-  
mæ, recordare quæso gratiosè, diverterunt  
hebdomades, quum suffragio tuo, quod im-  
perantis voluntatis loco ubique mihi esse de-  
bet, operam qualemcunque meam in Grotii  
libro incomparabili collocatam cathedræ  
publicæ condicerem, hâc tamen lege, ut non  
nisi unius, ejusque perpetui Respondentis con-  
suetudine uterer. Cujus numeri rationem  
tantum abest ut dissimulem, quin potius,  
quod sanctissimè sæpe testatus sum, palam  
profiteri non erubescam, me docendi mu-  
nus nec hic nec alibi ambiisse unquam,  
nec in posterum ambire constituisse. Sic  
obscurum minimè est, non teneri me cum

)0( 2

mul-



multitudine Academicâ agere , quum hoc  
ad officium illorum pertineat, qui sacra-  
mentum hoc nomine præstiterunt, & de-  
nario satis valente hâc fini à Patronis hujus  
Athenæi Serenissimis, Dominis nostris Cle-  
mentissimis. sustentantur. Alligatus ergo, neces-  
sitate, nescio quâ fatali, loco huic Academico  
ultrâ decenniū, conscientiæ meæ abundè pro-  
spectum esse censeo, si quæcunq; talentū ab  
omnipotente Deo creditum ad paucissimo-  
rum ingenia perpolianda conferam. In quo  
tamen vitæ genere fati urgentis vim, jure ejus  
merito, admirari debeo, ita ut ad mentem qui-  
dem illorum me non componam, qui è va-  
gis stellis nexum causarum latentium devo-  
cant, indeq; suum quemq; ordinem im-  
mutabili lege percurrere existimant, principi-  
um tamen aliquod agnoscam, cujus lege im-  
mobilis rerum humanarum ordo seratur.  
An ergo consilio prudenti aut remedio saga-  
ci divinæ providentiæ dispositionem vel sub-  
vertere vel reformare possimus subsisto. Deus  
est qui gubernat & dirigit; ipse est qui provi-  
det etiam atq; decernit. Optimum itaq;,  
quo propugnaculo nihil poterit esse forti-  
us, in Deo, inq; bonâ conscientia niti, & so-  
latio

latio potissimo imputare, quod à viro A-  
cademiæ hujus magno accepi sæpies, quàm  
præclara sit in rebus adfflictis medicina, non  
eqvis & quadrigis, aliisvè mediis illicitis spar-  
tam quæfivisse, sed æqvissimâ mente volunta-  
tem divinâ præstolatû esse. Quod vel ideo nec  
dedecori, nec triste admodum evenire mihi  
poterit, quia vestigia virorum insignium hæc  
in navi prævia deprehendo, qui iidem sortem  
meam hæc loci subierunt antea, & tandem,  
per varios casus, per tot discrimina rerum, ve-  
nientes in Latium jucundissimâ cum volu-  
ptate præteriti doloris ac tædii securè recor-  
dati sunt. Non enim pependit Christus inter  
latrones semper, sed resurrexit tandem cru-  
cifixa virtus & veritas, quantumvis profundè  
submersa. Quid ergo mearum partium erit  
amplius? quàm in eo, quod cum vestris ante  
biennium suscepi, indefessâ sedulitate pergere,  
& perpetuò agendo tædium jucunditate vin-  
cere. Ac ne hujus etiam laboris ratio Te fugiat,  
Domine venerandissime, judicatum mihi fuit  
demonstrare, me interpretando Grotium id  
potissimùm agere, ut usitatum Autori ac sub-  
lime in scriptione judicium verborum perspi-

)0( 3

cui-



cuitate adseqvar, postea rerum profundita-  
ti dilucidâ argumentandi ratione intendam  
deniqve, ubi materiarum indoles postu-  
lat, usum earum in vitâ civili ex memoriis hu-  
jus & prioris seculi, studiosè præbeam. Hoc  
enim pacto me exhibuisse puto, quod & bo-  
ni publici rationem & usurpantium vota ex-  
plere possit. Nunquam enim adducar ut cre-  
dam, me à prudentibus censi ideo, quod,  
quæ ex Rabbiorum scholâ arcessivit Autor,  
ego prætereundo respexerim; Graviora nam-  
que sunt, & non nisi ejus, qui linguarum Ori-  
entalium scientiam exasciatam acquisi-  
vit, cujus exemplum esse poterat modestia  
Viri celebratissimi DNI JOHANNIS HEN-  
RICI BOECLERI, qui & ipse hanc difficul-  
tatem à commentatione suâ consideratè re-  
jecit, ac validissimis humeris DNI JOHAN-  
NIS CHRISTOPHORI WAGENSEILII  
imposuit. Hic, quamvis principio ægerrimè  
motus, tandem recepit, & argumento huic  
solidè satisfecit. Nec præterea, ut spero, re-  
prehensionem incurram, quòd ab omni ca-  
lumniandi ratione FELDENVM cæterosve,  
qui Grotio in multis dicam scripserunt, tempe-  
ra-



raverim, contentus illis quæ viri docti abundè reposuerunt, fatisq; honorificum reputans sugillare neminem, officio tamen conveniens, sicubi Autor lapsus est, aliorum iudicio, si non possum proprio, modo conveniente attingere. Manet enim utrumque, certis in causis, sua laus & GROTIUM adferentem, & FELDENUM destruentem. Dum verò hæc à me geruntur, non deliberandum erat diu, cuius patrocinio submittere vellem hanc impensam, quum, antea quàm publicè prodiret hoc instituti genus, à solidissimo Tuo iudicio id comprobatum accepissem, dignum tanto honore, tantaque felicitate, quod nomen perpetui Respondentis Filii Tui dilectissimi sibi tribuere debeat. Quòd si ergò his primitiis Tibi placuero, facile eveniet, ut opusculum integrum illustri Tuo imprimis Nomini consecratum propediem appareat. Reliquum est, DEVM OPT. MAX. religiosissimâ mente venerari, ut, quæ pro salute publicâ insimulque nostrâ suscipis consilia salu-


saluberrima, divina ejus clementia pro-  
sperrimè ac feliciter evenire sinat. Vale  
& memoriam mei benivolam gratiosè  
conserva. Dedi Jenæ Prid. Eid. August.  
A. O. R. clō 100 L XV.

**MAGNIFICENTIÆ VESTRÆ IL-  
LYSTRIS**

**ex animi ingenui sententiâ**


**Observantissimus ac devotus  
Cliens**

**ADAMVS CORTREJVS D.**



ADSIT MIHI GRATIA  
DEI.

PRÆFATIO OSTENDIT OCCASI-  
ONEM OPERIS CONSCRIBENDI  
ET RATIONEM INSCRI-  
PTIONIS RED-  
DIT.

 Uspicatur aureum tractatum summi Gro-  
tii de Jure Belli ac Pacis consultum esse videtur,  
ut, antea quam ad id, quod in ipsis Juris naturæ  
atque gentium argumentis obtinet, transeam, &  
occasionem conscribendi hujus operis, & in-  
scriptionem ejusque rationem, quantum instituti ratio postu-  
lat, prælibare instituem. Occasionem quod attinet, ex histo-  
ria hujus seculi abundè constare arbitror, Autorem no-  
strum periculis atque negotiis in muneribus publicis didicisse  
satis, quantis acerbitatibus exponantur illi, qui ad rerum  
summam gerendam tranquillitatis atque pacis amorem ad-  
ferre solent. Quum enim ipse primùm admodum juvenis  
fisci Hollandici, Zelandici, & Westfrisici Advocatus, jussu atque  
arbitratu Mauritiæ Aurelianensium Principis, supremi Hollan-  
diæ Gubernatoris salutem populi ac Reip. unicè spectaret, ita  
ut, in testimonium operæ bene navatæ, auctum ipsi salarium es-  
set, inque superiorum Judicum consensu locus ipsi ultrò pro-  
mitteretur, seriò admodum à Coss. & Decurionibus oppidi  
Roterodamensis rogatus est, vacantem tunc adsessuram acci-  
pere. Quamvis autem erga hanc spartam animo planè abali-  
enato esset, tandem tamen, & amicis & Hollandiæ proceribus  
in consilium adhibitis, oblatam accepit, eaque bonâ cum  
A gratia

gratiâ & rectorum oppidi & municipum functus est. At verò nescio, quo fatali Grotii genio, acciderit, ut inter Dd. ejus religionis, quæ reformatae nomen obtinet, tum Roterodami, tum alibi sententiarum quædam varietas, super prædestinatione divinâ, gratiæ amplitudine, atque efficaciam modo, nec minus de perseverandi certitudine intercederet, ita ut eorum numerus, qui prædestinationem certâ sub lege, Gratiam universitati hominum expositam, efficaciam non ineluctabilem, & perseverandi certitudinem, non sine conditione aliquâ statuerunt, (in quibus familiam ducebant ad seclæ Jacobi Arminii Professoris quondam Theologi in Academia Lugdunensi, quorum aliqui Trajecti, Gondæ, Hornæ atque alibi erant) inquirendi studio incrementa haut exigua sumeret. His opposuerunt sese alii verbi divini præcones, eam opinionem cum verbo Dei & formulis consensus pugnare arbitrantes, illosque pastoralis munere dejicere, aliisque censuræ Ecclesiasticæ notis Arminianos inurere, aggressi sunt. Qui verò accusabantur, premebanturque, verbis se defendere instituerunt. Quid Hollandiæ & Westfrisiæ proceres? Secuti sunt consilium primum superioris consessus Judicum suorum, deinde etiam Britanniarum regis sententiâ ipsis coram expositam, pluribus autem perscriptam. Quum enim satis appareret, ut, si quâ super controversiis illis, ex plurium pastorum sententiâ, definitio fieret, non abituram rem sine religionis divortio, quin & corpus ipsum religionis reformatae, ipsamque Remp. non modicè afflictum iri, in primis quum magistratum multi, quam plurimi etiam civium & patriæ amantissimorum in illam, quæ accusabatur, sententiam, animo ita propensissimo essent, ut, salvâ religione, eam nec damnari, nec potestatis suæ vim accommodari dissentientibus posse omnino existimarent. Optimo itaque consilio pastoribus edixerunt, ut in controversiis illis alter alterum ferret, neque argumentum illud, nisi temperatè, & quatenus ad pietatem conducere, fraternæ charitatis vinculo, inter se disceptarent. Quinimò, ut omnia quæstionum illarum discordia terminaretur, omnisque ad illam aditus intercluderetur, alia atque alia successerunt decreta, quæ viris  
piè

piè doctis domi forisque pluribus placuerunt. Verum enim-  
verò pastorum aliqui, quum certam, ex universali hujus defi-  
nitione, animo secum fingerent sententiam, neque ad viam,  
illam, decretis ordinum intercedentibus, pervenire possent,  
clandestinis cœtibus & arcanò fœdere plebem ad secessionem  
in Ecclesiâ erexerunt, atque, ut instituto suo auctoritatem  
conciliarent, oppida nonnulla nationesque vicinas precibus  
provocârunt, ut rem ad communem Synodum nationalem à  
septem qs. fœderatarum nationum unâ natione sic appellatam  
derivarent. Sanè in alia omnia, metu malorum, quæ ex uni-  
versali quæstionum definitione oriri solent, secesserunt Hol-  
landiæ Rectores plerique, unâ cum Trajectinis, Transsalanis  
& parte Geldriæ, qui ab illis nationibus cogi se non posse cen-  
suerunt, ut, ad definiendas controversias, conventui ejus-  
modi indicendo accederent, propterea quod non solum fœ-  
dus ipsum Trajectinum, sed acta posteriora & mos ad illa usq;  
tempora continuus satis testatum facerent, singulas nationes,  
uti cœteras partes superioritatis, ita etiam jus ordinandi Ec-  
clesiam & sacra publica, sibi reservâsse, unde, se invictos per-  
mansuros esse in religione reformatâ, hâc conditione, ut in istis  
controversiis dissentiendi libertas aliis permitteretur, decer-  
nebant: Quid consecutum sit, attende; Non defuerunt certè  
ex numero Ecclesiastico, qui paci mutux adversabantur, & a-  
liquot in locis templa invadere, alibi dissentientes dejicere,  
quin & jus illud, quod in Hollandiâ æquè ac apud populos  
alios vicinos longâ annorum serie ad illa usque tempora ex-  
ercere consueverat magistratus politicus, oppugnare, Juraq;  
suffragii, quoties de sacro munere mandando agitur, obtinere  
laborabant. Fuerunt, qui & acerbis declamationibus & li-  
bellis famam torquentibus rectores odio plebis objicerent,  
inque illos vim facerent. Dum hæc geruntur, ecce Mauritius  
Arausionensium Princeps, quum diu se quietum in his con-  
troverfiis gessisset, arcanis quorundam artibus in Oldenbar-  
neveldium, à quo olim, cum induciæ fierent, ipse Aurelianen-  
sium Princeps dissenserat, magis magisque concitatur, præfer-  
tim, quum de formâ Reip., quam hætenus negotiis militari-



bus districtus minus curaverat, talia ipsi ingererentur, quæ neque cum LL. neque cum moribus ullo modo convenire possent, usque adeo, ut tandem illa, quæ pro ferendâ sententiarum diversitate, ab Hollandiæ proceribus decreta erant, improbaret, quin & ignaris atque maximè invitis Hollandiæ proceribus, præcepta ordinariis militibus daret, ne se in negotiis, quæ ex controversiis illis resiliunt, moverent, minimè sollicitus, quod proceres, obsequium & tutelam militum adversus vim qualemcunq̃ atque seditionem, non Principis, sed suis, rectorumque oppidorum decretis deberi existimarent. Ex quo etiam factum est, ut magistratus nonnulli oppidorum, quibus aut nulla, aut suspecta rectoribus, ob ea, quæ diximus, præsidia ferant, ex decreto procerum Hollandiæ, custodias oppidi sui auferent, atque ordinarent, quippe quod hoc præsidii ordinandi Jure sæpe antea, proceribus fœderatis, aut præfecto, qui idem ordinariorum magister erat, nil quicquam contradicentibus, usi essent. Mauritius, quum orbem suum dissidiis omninò turbatum videret, civitates plurimas vi occupat, & ejectis à Senatorio ordine Arminianis, Gomarico Calvinianos in locum illorum collocat. Quum verò præcipue quædam civitates aliæ, in quibus illis Trajectum & Lugdunum in pristinâ mente permanerent, ad exemplum illarum civitates aliæ facillè opinionem suam composuerunt. Ut ergo Princeps Mauritius medicinam huic malo extirpando efficacem invenire, & turbata omnia restituere posset, purgatis atque compositis civitatibus pluribus, porro anno hujus seculi decimo octavo, mense Majo Amstelodamum se recepit, ibique rebus omnibus inventis bene tranquillis, mox inde Ultrajectum, sub specie optima divertendi, noctu, circa horam secundam, urbem occupavit, atque Ultrajectinorum voluntatem diversissimam hâc ratione facillè subegit. Nam & Senatum illius civitatis, plurimis ejectis, multis quoque sponte suâ cedentibus, immutavit, & reliquis concordiam ad Synodum usque instituendam persuasit. Quibus ita compositis, quum paulò post Lugdunum quæ voluntatem suam cum Mauritiis consiliis copularet, evenit, ut ordines, fœderati, manda-

mandato quodam universali, ex auctorationem militū priva-  
to ausu conscriptorum, omnibus civitatibus atque subjectis,  
intra viginti quatuor horarum spatium, à tempore insinuatio-  
nis, faciendam sub gravissimâ pœnâ imperarent, & orbi suo,  
motibus religionis discussis, tranquillam agendi rationem,  
quæ conciliarent. Vid. Johan. Philipp. Abelin. Tom. 1. theatr.  
Europ. p. 281. 282. Sic ergò, militaribus oppidorum custodiis  
dissolutis, nationes quamplurimæ à Mauritio aliisque impel-  
lebantur, ut Synodū communem, quam nationalem supra ap-  
pellavi, nomine conventus totius fœderati Belgici indicerent,  
refragantibus quibusdam Hollandorum atque Trajectinorum  
proceribus, quibus protestari visum erat, non licere fœ-  
deratis, ex majoris partis sententiâ, in rebus Ecclesiasticis  
quicquam constituere, si ipsi dissensum suum testarentur. Per-  
gunt illi Synodum indicere eamque Dordraci, mense Septem-  
bri, anno hujus seculi decimo octavo, præsentibus Rege An-  
glia & Electoribus Germaniæ, Comitibus, nec non Theolo-  
gorum à civitatibus: Zürich/Basel/Bern/Schaffhausen/Genff/  
Bremen/atque Emden/ad requisitionem fœderati Belgici, ab-  
legatorum consensu atque suffragio celebrare Galliarum  
Rex Ludovicus XIII. quamvis & ipse precibus intensissimis à  
fœderatorum Ordinibus sollicitaretur, ut & suis in regno Cal-  
vinianis permetteret, delegare quosdam, qui Synodo illi in-  
teressent, ipse tamen, clericorum suorum consilio, sub pœnâ  
capitali, ne Calvinianorum quidam è regno suo Synodo  
Dordracenæ accederent, edixit. Nihilo tamen minus  
ablegavit Bossizium quendam, qui secundum illa, quæ  
per Nanzerium ejusdem regis ordinarium legatum acta e-  
rant, autor esset omnium quæ ad concordiam pertinebant,  
cujus persuasionibus adducti oppidorum in Hollandia  
Rectores custodias suas dimiserunt; Arminiani, cum & ipsi ad  
Synodum vocarentur, comparuerunt quidem, sed sanctissime  
protestati sunt, se non teneri decretis illorum, qui Synodo  
huic interessent, quippe quod ab illis, ceu adversariis suis, qui-  
bus cum inscriptis acriter dudum contendissent, apud magi-  
stratum falsò delati essent. His verò non attentis præsentibus



Theologi tam exteri, quam domestici Synodum promove-  
runt. Posteaquam verò, quæstionibus omnibus ad normam  
verbi divini perpensis, principium mensis Maji, anni hujus se-  
culi decimi noni finem Synodi illius concluderet, unâ omni-  
um Theologorum ibi præsentium vox Arminianos eorumque  
doctrinam tanquam à fœderatarum omniumque Calviniana-  
rum Ecclesiarum, puroque verbi divini fonte alienissimam,  
multisque erroribus inquinatam damnârunt, illudque Sy-  
nodi conclusum in templo Dordraceno, in conspectu  
multarum millium animarum, proclamârunt, & postea literis  
publicis exprimendum curârunt. Hæc itaque Synodus ejus-  
que decreta turbis fœderati Belgici finem attulerunt, atque  
Arminianorum sectam igne & aquâ interdixerunt. Nam &  
Edictorum sævitia adversus damnatæ sententiæ Arminianos  
statim insecuta est, pastores quippe patriâ expulsi, si redirent,  
perpetuo carceri mancipabantur, illectis per præmia delato-  
ribus, imò acerbitas erga Arminianorum sectam adeò apud  
fœderatos Belgas invaluerat, ut nec dignitati summorum in  
Republ. virorum parcerent, sed omnia consilia, quæ requiem  
illorum quæsiverant, in pessimam consulentium perniciem  
converterent. Multi enim illique præcipui, qui rerum sum-  
mæ præerant, ( in quibus, ob fatalem exitum, nominare ju-  
beor Johannem ab Oldenbarneveld/Equitem D. Berckelîæ Ro-  
derisæ, Advocatum & custodem magni sigilli & Archivorum  
Hollandiæ & Westfrisiæ, virum tum temporis septuaginta tri-  
um annorum, & magnum nostrum Hugonem Grotium, Syn-  
dicum Rotterodamensem, ejusdemque urbis in conventu or-  
dinario Hollandiæ & Westfrisiæ quondam delegatum, & Ho-  
gebertum quendam ) has turbas omnes æquis agendi ratio-  
nibus præverti potius, quam violentâ manu omnia everti  
consultius esse censebant, quippe quod modus agendi violen-  
tus, nec publico, nec Principi Mauritio salutaris esse posset,  
quæ ut rursusque salus ac gloria in pronâ civium voluntate con-  
sistat, eorum maximè, qui patriæ devoti sint atque addicti. Sed  
his inprimis in pessimum versa est cupidissima tranquillitatis  
ratio; Arminianorum namque sectam fovisse, statumque re-  
ligio-



ligionis turbâsse, contraque leges fundamentales, quibus sta-  
tus fœderati Belgici unice niteretur, egisse, ac proinde Majesta-  
tis accusabantur. Equidem Oldenbarneveldius ante Syno-  
dum cœptam captus usque ad eam finitam adservabatur, quâ  
finitâ Grotius ac Hogebertus capiebantur. Posteaquam ipsi  
diu in carcere detenti & interrogati essent, tandem, nomine  
procerum Fœderatorum, Judices in illos constituuntur, in-  
que proposito pergitur & in Oldenbarneveldium mortis sen-  
rentia 12 Maji anno hujus seculi 19. Hagæ in aulâ Principis per  
carnificem confecta, in Grotium verò atque Hogebertum per-  
petui carceris, in universos hosce tres bonorum publicatio-  
nis lata reapse firmata est atque stabilita. Reliquorum duo-  
rum, in primis Oldenbarneveldii processum videtis apud præ-  
dict. Joh. Philipp. Abdin. tom. 1. p. 286. & seqq. Grotii verò  
sententiam ejusque inculpationem quam, prout concepta est,  
atque publicata, ipse adducit in Apologetico primùm permis-  
su atque privilegio Regis Galliæ, postmodum Heidelbergæ  
annò seculi hujus 29. impresso, cap. 19. his verbis: QVAN-  
DO. HVGO. GROTIVS. QVI. ANTEHAC. ADSESSOR FV-  
IT. MAGISTRATVVM. ROTTERODAMENSIVM. NVNC.  
CAPTIVVS. HABETVR. APVD. DELEGATOS. SVBLIMI-  
VM. AC. PRÆPOTENTIVM. PROCERVVM. FOEDERATO-  
RVM QVIBVS. DATVM. ERAT. IN. IPSVM. HABENDÆ.  
QVÆSTIONIS. NEGOTIVM. AC. POSTEA. APVD. JUDI-  
CES. EXTRA. TORMENTA. AC. FERREA. VINCVLA. CON-  
FESSVS EST. AC. DE. CÆTERO. IPSIS. JVDICIBVS. PARVIT.  
QVVM. LICITVM. NEMINI. SIT. VINCVLA. AC. LEGES IN.  
QVIBVS. RESPVBL. FOEDERATARVM. NATIONVM. BEL-  
GICO - GERMANIÆ. FVNDATA. EST. AC. PER. QVAS.  
DEO. ADSPIRANTE. EA. RESP. CONTRA. VIM. ARTESQ.  
HOSTIVM. AC. MALEVOLORVM. HACTENVVS. STETIT.  
VIOLARE. ATQ. PERFRINGERE. IPSVM. TAMEN. AV-  
SVM. RELIGIONIS. STATVM. CONCVTERE. DENIQ. EC-  
CLESIAM. GRAVITER. PREMERE. AC. CONTRISTARI.  
CVI. FINI. ADSERVERIT. ALIORVMQ. ANIMIS. INFIXE-  
RIT. IN. PVBLICIS. QVOQ. CONVENTIBVS. PER. SCRIP-  
PTA.

PTA. ORATIONES. ATQ. ALIOS. MODOS. VBIQ. ADSE-  
RERETVR. ATQ. INFIGERETVR. ANIMIS. ALLABORA-  
VIT. NATIONI. CUIQ. SOLI. IVS. ESSE. DE. RELIGIONE.  
STATVENDI. NEQ. LICERE. ALIIS. NATIONIBVS. SE. NE-  
GOTIO. ILLI. IMMISCERE. PROBASSE. QVOQ. IPSVM.  
ET. SCRIPTIS. EDITIS. ADIVTOREM. FVISSE. VT. MVL-  
TÆ. OPINIONES. NOVÆ. PVGNANTES. CVM. FORMV-  
LIS. ECCLESIASTICÆ. CONSENSIONIS. ANTE. IN. RE-  
FORMATIS. ECCLESIIIS. NON. RECEPTÆ. NEQ. LEGITI-  
ME. EXPENSÆ. NON. ORDINE. NEQ. EX. MORE. ECCLE-  
SIÆ. IN. ECCLESIAS. HARVM. TERRARVM. IMPORTA-  
RENTVR. ATQ. DEFENDERENTVR. TVM. VERO. IPSVM.  
IN. HIS. REBVS. EO. VSQ. PROVECTVM. VT. QVVM. SA-  
TIS. SCIRET. NON. ESSE. IN. POTESTATE. EXIMIORVM.  
AGRI. SCIANI. CONSTITVTIONES. VLLAS. FACERE. EO-  
RVM. TAMEN. NOMINE. FECERIT. ATQ. CONCEPERIT.  
RIGIDAM. CONSTITVTIONEM. QVÆ. EDITA. EST. D.  
XXI. JVN. cl̄l̄c̄XV. TITVLO. QVÆSITORIS. JVDICVM.  
ET. EXIMIORVM. AGRI. SCIANI. QVI. QVVM. NON.  
IGNORARENT. OMNES. ECCLESIAS. PVBLICAS. EJVS.  
TERRITORII. INSIDERI. A. PASTORIBVS. INFECTIS. NO-  
VO. DOGMATE. TAMEN. EA. CONSTITVTIONE. VETV-  
ERVNT. OMNES. REFORMATÆ. RELIGIONIS. ERGO. A-  
LIBI. QVAM. INTER. ECCLESIAS. ILLAS. IVBENTES. PV-  
BLICARI. DOMVM. HORREVM. NAVEM. CYMBAM. CAM-  
PVM. LOCARE. ALIA. VBI. ALITER. SACRA. FIERENT. ETI-  
AMSI. LOCI. DOMINVS. CONSENSVM. NON. PRÆBV-  
ISSET. CUI. DVNTAXAT. ACTIO. SERVATVR. IN. CON-  
DVCTOREM. AVT. ILLVM. QVI. COETVM. CONVOCA-  
VIT. ADSCRIPTA. INSVPER. TRECENTORVM. FLORE-  
NORVM. MVLCTA. IN. ILLOS. QVI. POPVLVM. ALLOCV-  
TI. SVNT. QVI. MYSTERIA. DISTRIBVISSENT. CVM. IN-  
VSITATIS. APPENDICIBVS. DE. AGENDI. MODO. REC-  
SATIONEM. RESPONDENDI. PRO. CONFESSIO. VA-  
LITVRAM. IPSVM. QVOQ. CAPTIVVM. VT. IMPEDIRET.  
NE. ADVERSVS. ISTA. ADVERSVSQ. NOVÆ. ISTIVS. OPI-  
NIONIS.

NIONIS. INVECTIONEM. ILLEGITIMAM. REMEDIUM.  
ADFERETVR. ET. QVOD. FACTO. OPVS ERAT FIERET.  
PP. OBSTITISSE. QVO. MINVS. COMMVNIS. SYNODVS.  
FOEDERATARVM. NAT'IONVM. HABERETVR. INDICE.  
RETVRVE. QVVM. TAMEN. REX. BRITANNIARVM. PRIN.  
CEPS MAVRITIVS. AC. PARS NATIONVM. MAIOR. CVM  
MVLTI. INSIGNIBVS. HOLLANDIÆ. EAM. IN. REM  
ADSSERTVM. AB. EO. SYNODOS. NOXIAS. ESSE. IVRE  
SVMMARVM. POTESTATVM. IN. HIS. TERRIS. IN. RE. SY.  
NODI. NEQ. CENSENDI. NEQ. SENTENTIAS. NUME.  
RANDI. IVS. ESSE. AC. PVGNATVRVM. CVM IVRE. ATQ.  
IMPERIO. HOLLANDIÆ. SI. COMMVNIS. SYNODVS. IN.  
VITO. HOLLANDIÆ. CONVENTVI. AVT PARTI. EIVS  
MAIORI. OBTRVDERETVR. &c. EX. QVO. COETERISQ.  
ILLIVS. COITIONIBVS. AC. MOLITIONIBVS SEQVVTVM.  
EST. VT. IN. PROCERVVM. CORPORE. PROCERES. ALII  
IMPERIVM. IN. IMPERIO. NOVAQ. FOEDERA. IN. IPSO.  
FOEDERE. AC. CONTRA. FOEDVS. FRIGERENTVR  
VTQ. IN. VNIVERSVM. STATVS CIVILIS. ATQ. ECCLESI.  
ASTICVS. PERTVRBARETVR. EXHAVRIRETVR. ÆRA.  
RIVM. AC. RESP. SVMPTVS. INCREDIBILES. FACERET  
DISSENSIO. AC. DIFFIDENTIA. PASSIM. SERERETVR.  
FOEDVS. FRANGERETVR. PATRIA. SIBI. TVENDÆ. IM.  
PAR. FIERET. ADDVCTAQ. SIT. IN. PERICVLVM. AVT  
PACTIONES. IGNOMINIOSAS. AVT. EXITII. PLENAS. AC  
PROINDE. IN. BENE. CONSTITVTA. REP. HÆC. TOLE.  
RANDA. NON. SINT. SED. PVNIENDA. VT. ALIIS EXEM.  
PLO. SINT. OB. EAM. REM. DICTI. IVDICES. EXACTO  
CONSILIO. VISIS. EXPENSISQ. OMNIBVS. QVÆ. AD.  
CAVSAM. PERTINEBANT. QVÆQ. IPSOS. MOVERE. PO.  
TERANT. JVS. REDDENTES. NOMINE. AC. VICE. PRO.  
CERVVM. FOEDERATORVM. BELGICO. GERMANIÆ  
CAPTIVVM EVNDEM. DAMNARVNT. DAMNANTQVE  
AD. CARCERES. PP. EAQ. FINI. DEPORTANDVM. IN.  
LOCVM. BENE. CVSTODITVM. ADSIGNANDVM. A. PRO.  
CERIBVS. FOEDERATIS. ATQ. IBI. PER. OMNE. VITÆ.  
B TEMPVS.

TEMPVS. HABENDVM. ADSERVANDVMQ. BONA. VERO.  
EIVS. PVBLICANDA. PRONVNTIANT. ACTVM. IN. JV-  
DICVM. COETV. HAGÆ. COMITATENSI. PRONVNTI-  
ATVMQ. D. XVIII. MAJI. cIo Ioc XIX. JVSSV. DICTORVM.  
JVDICVM. SIGNATVM. H. POTSIVS.

Qvum itaque Grotius biennium fermè Hagæ Comitum in  
arce Lowensteyn arctissimâ custodiâ detentus esset, tandem, ope  
conjugis suæ vafritie pariter atqve fide conjugali spectatissi-  
mæ arcæ cuidam inclusus, & quasi libri ibidem reconditi es-  
sent, ab arce deportatus est, pauloque post, vestibulis formâque  
planè immutatâ, Antverpiam primùm, mox Lutetias Parisio-  
rum concessit. Quid ergò? præful illius arcis, qvum se va-  
ferrimo mulieris consilio deceptum, Grotium verò custodia  
exemptum esse sentiret, uxorem ejus in locum mariti surrogare  
& arctissimæ custodiæ ibidem dedere non dubitavit. Grotius  
verò non defuit litteris prudentissimis Fœderatorum Ordini-  
bus ostendere, *Majestatem à se nullatenus fuisse lesam, sed summis,  
inferioribusq; potestatibus id à se tributum esse, quod natura & mu-  
neris necessitas exigebat. Animum suum quod attineret, testari se  
coram Deo & humano genere, eum non fuisse alium, quàm legiti-  
mam Reip. formam, sub qua natus educatusq; esset, tueri, & Ecclesie  
unitatem amicâ & cum præceptis divinis minimè pugnante composi-  
tione procurare. Pro his aliisq; verò officiis innumeris patriæ exhibi-  
bitis hanc ipsi gratiam esse repensam, quod per menses novem, qvum  
morbis gravissimis teneretur, in arctissima custodia habitus sit, ita ut  
nec conjugem nec amicos semel conspiciere liceret, quod sub specie im-  
purissima rei in id auditorium deductus sit, in quo Juris publici di-  
gnitas sub præsidio suo semper intacta steterit; Quod uni cubiculo  
inclusus & militum copiis circumseptus fuerit, ita ut uxori etiam ade-  
undi libertas erepta fuerit. Quod facultates exiguæ, et siullæ  
cujusdam in omni populo honestè parta sibi & suis liberis adempta  
sint. Quibus cunctis unum esse gravius, quod popularium extero-  
rumq; aures falso rumore impleta sint, quasi prava adversus patriam  
consilia suscepisset, quia pleriq; adduci non possent, ut credant, ita  
qvemque tractari, qui quæ egit, fide bonâ egerit. Contra hæc omnia  
solatium sibi in Deo positum esse, & in bona conscientia, inque exem-  
plo*

plo plurium optimorum civium, qui nullius peccati, sed solida virtutis  
 ergò similia perpeffi sint. Nil ergò mirum esse, si ipse, natura auspicio,  
 omniumq; consensu rationabili, id pro declinandâ custodia acerbitate  
 suscepisset, quod nemo nisi impurissimus quisque improbare posset:  
 Jam ergò se in Gallia agere, atque, dum ibi agat, fidem regi & obedi-  
 entiam uti par est, se prestiturum esse, patriâ interim, quæ regis ami-  
 citia opus habeat, servaturum, quem ante hac, animum sollicitum  
 pro ipsius salute, libertate atq; commodis, paratamque operam ei na-  
 vaturû, si quâ futura sit utilis. Pro hoc verò adfectu nihil se expetere,  
 nisi ut ipsi Rectores Status fœderati Belgici, ex utis præjudiciis de Grotii  
 aliorumq; factis, ita judicent, quemadmodum de suis judicari ipsi vel-  
 lent. Hisce acceptis extemplò demandârunt Proceres fœde-  
 rati Belgici Præfecto arcis Lowensteijn / non solùm Grotii ux-  
 orem è custodia dimittere, sed & omnia bona fisco antea adju-  
 dicata restituere. Vid. laudat. Joh. Philipp. Abelin. loco su-  
 præ cit. sub annum hujus seculi 21. p. 687. Hâc ergò ratione,  
 quum Grotius, admirandò Dei judiciò atque providentiâ, li-  
 bertati naturali pristinæ atque securitati restitutus in sinum  
 Christianissimi Galliarum Regis Ludovici XIII. reciperetur,  
 divertitur primùm ad Nicolaum Claudium, Fabricium, Peire-  
 scium, Senatorem Aquisextiensem Virum omnigenæ eruditio-  
 nis scientiâ tum temporis florentissimum, copiaqve rerum  
 instructissimum, qui in consuetudine tanti hospitis exultans,  
 instituti sui rationem, quam ipse in conciliando opere de Ju-  
 re naturæ & gentium cœperat, florentissimo insimulqve peri-  
 tissimo genio Grotii nostri honestâ petitione delegare, quam  
 ipse perficere maluit, eiqve & auxilia atque subsidia ad rem  
 aggrediendam perficiendamque abundè subministravit.  
 Quum verò ex consilio atque sermone Grotii cum Peirescio,  
 epistol. 78. ad Gall. pag. m. 176. edition. Lugdun. 1650. abundè  
 constet, Grotio judicatum fuisse de Jure naturæ ac Gentium,  
 non autem de Jure Belli ac Pacis tractatum illum conscribere,  
 Ita enim Grotius loc. supr. citat. *Interim non otior, sed in  
 illo de Jure Gentium opere pergo: quod si tale futurum est, ut  
 lectores demereri possit, habebit quod tibi debet postestas,  
 qui me ad hunc laborem & auxilio & hortatu tuo excitasti.*

mirari certè subiit viros doctos quamplurimos ratio illius inscriptionis, Ast nequicquam mirantur; Rationem enim inscriptionis ipse proponit cap. 1. §. 1. Quum enim nulla controversia sit, unde non bellum oriri possit, occasione bellici juris rectè tractari posse existimat controversias, quæcunque incidere solent.

## AD PROLEGOMENA.

Constant hæc Prolegomena Grotii octo partibus, (1.) Juris naturæ & gentium scientiam à præstantia apprimè commendat. (2.) An sit aliquod Jus naturæ & gentium, contra Carneadem disquirat, eâque occasione originem ejus Juris atque fundamentum eleganter adstruit. (3.) Causam operis conscribendi impulsivam adducit. (4.) Oeconomiam summam per argumenta librorum singulorum designat, aliorumq; circa hoc argumentum institutum cum suis comparat. (5.) Præsidia & auxilia, quibus tum in argumentando, tum in testimoniis ex Philosophis, Historicis, Poetis, Oratoribus, SS. literis, monumentis Ecclesiasticis, Jctis usus sit, enumerat. (6.) methodum, quâ in concinnando opere usus est, demonstrat. (7.) Dicendi genus, quo opus hoc exornatum est, adfert. (8.) Moratissima quædam clausula scriptum suum recto prudentum judicio commendat. Incipit ergò I. Prolegomenorum pars hæc ratione:

*Verè enim Cicero præstabilem hanc scientiam dixit, & Euripides rerum divinarum atq; humanarum cognitioni præponit.) Miratur Grotius noster in hac prima Prolegomenorum parte, quamobrem scientia Juris naturæ atque gentium à florentissimorum ingeniorum curâ hætenus remota planè fuerit atque abjectissima, quum tamè præstantissima omnium sit, aliarumq; rerum divinarum atque humanarum cognitioni præponenda. Ratio ejus colligendi hæc est: Quodcunq; Jus ab ipsa natura profectum, legibus divinis constitutum, moribus & pacto gentium tacito introductum circa pacationes, pacem atq; bella populorum, regum exterarumq; nationum versatur, illius Juris scientia est omnium præstantissima. Jus illud, quod inter populos plures aut populorum rectores intercedit, ab ipsa natura est profectum, legibus divinis constitutum*

stitutum, &c. Ergo Juris illius, quod inter populos plures eorumque  
rectores intercedit, scientia est omnium praestantissima. Diversa  
ab hac Grotii ratiocinatione incedit illorum opinio, qui nihil  
certi ex hoc Jure naturali peti posse, omniaque hic adstructa,  
in ambiguo relinqui, adeoque scientiae nomen mereri non  
posse adserunt, propterea, quod non eodem modo contro-  
versiae definiantur ab illis, qui Juris naturalis peritiam profi-  
tentur, quin & inter gentes ipsas discordes saepe de re una sen-  
tentias audiamus. Hinc ergo: *Cuicunque desunt principia cer-  
ta, indubitata ac evidenter, ex eo scientia confici nequit: Juri naturae  
& Gentium desunt principia certa & indubitata. E. Ex Jure na-  
turae & Gentium scientia confici nequit.* Major est evidens. Mi-  
nor probatur ex antecedentibus hac ratione. *De quocunque  
ipse gentes atque prudentes dissident, illi desunt principia certa & in-  
dubitata: De Jure naturae & gentium ipse gentes atque prudentes  
dissident. E. Juri naturae atque gentium desunt principia certa  
atque indubitata, & per consequens scientia confici nequit.* R. ne-  
gando consequentiam Majoris, quae ex ipsa Scepticorum scho-  
la deprompta est. Quamvis enim varia sint populorum ac  
prudentum placita, id tamen minimè tollit scientiam ipsam,  
quippe quae ex placitis illis diversissimis, in primis verò fatuo-  
rum judiciis, depromit id quod in se evidens, indubitatum,  
certum atque naturae congruum est. Hinc Aristot. 5. Ethic. 10.  
Jus naturale definitur id esse, quod πανταχῆ τὴν αὐτὴν ἔχει δύ-  
ναμιν, καὶ ἂν τῷ δοῦναι ἢ μὴ, ubique eandem vim obtinet, & non quia  
ita videtur, vel minimè, id est, uti exponit doctissimus Seldenus  
lib. 1. de Jur. nat. atque gent. juxt. discipl. Ebr. quod non ex in-  
certo atque vario apud gentes opinionum usu, aut ex re pro  
civilis bono diversimodè natà, sed ex constanti illorum judi-  
cio, qui rectè ratione sanàque utuntur perpetuò sibi simile  
pendet. Unde & insignis Aristotelis interpretes Andronic.  
Rhod. pro eo, quod est in textu Aristotelico πανταχῆ ubique  
substituit, πᾶσι ἀνθρώποις τοῖς δὲ οὐρανῶσι καὶ ὑγιῶσι ἔχουσι, ἔδδὲ  
τοῖς νόσσοι τὰς φρένας καὶ διαρρημύλοισι, apud homines, qui re-  
ctè, atque ut oportet, sapiunt, non apud illos, quibus laborat mens aut  
perversa est, & Michael Ephesius ad loc. praedict. πᾶσι τοῖς πλεί-

σοις καὶ ἀδίαφογίς, καὶ κτ' Φύσιν ἔχουσι, apud plurimos, qui  
tamen perversi non fuerint, sed secundum naturam se habuerint.

Succedit hinc altera opinio vana, quæ hanc Juris naturæ  
atq; gentium scientiã ideò susq; deq; habet, quod ipsa usum in  
vitã humanã nullũ hodiè nobis præbeat, quippe quod hinc tra-  
ctentur officia hominis, ad quæ Jure naturæ teneamur, & ex  
lumine naturæ colligi possint, talem verò statum nunquam  
fuisse aut esse, in quo sola illa Juris obligatio maneat. Hinc er-  
gò: *Ad quæcunq; Jura in hoc rerum statu servanda non tenemur,*  
*illa nullum nobis usum in vita civili præstant. Ad Jura natura &*  
*gentium in hoc rerum statu servanda non tenemur. E. Jura natura*  
*atq; gentium nullum in hac vita civili usum nobis præbent.* Ma-  
jor patet ex LL. forensibus atq; judicialibus Mosaicis, ad quas  
servandas, quum in hoc rerum statu non teneamur, nullum illæ  
nobis usum in vitã civili præstant. Minorem probant inde,  
quòd Juri naturæ absit omnis vis coactiva, Hinc ratiocinatio:  
*Cuicunq; omnis absit vis coactiva, ad id hoc rerum statu servandum*  
*non tenemur. Juri natura absit omnis vis coactiva. E. ad Jus na-*  
*tura servandum in hac vita civili non tenemur, & per consequens,*  
*Jus illud nullum in hac vita nobis præstat usum. R. (1.) negando*  
minorem Syllogismi principalis. Quamvis enim obligatio  
Juris naturæ per legislatorem civilem non ubiq; sit introdu-  
cta, nec etiam lex civilis Juri naturali semper adsistat, vim atq;  
efficaciam illi tribuendo, obligatio tamen ejus in conscientiã  
nunquam cessat atq; cessare debet, de quo egregiè planè ex  
Cicerone l. 3. de Republ. scribit Lactantius l. 6. divinar. Institut.  
c. 8. ubi: *Est quidem vera lex recta ratio, nature congruens, di-*  
*visa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo,*  
*vetando, à fraude deterreat, quæ tamen neq; probos frustra jubet*  
*aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec*  
*promulgari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet; neq; tota ab-*  
*rogari potest, nec verò aut per Senatum, aut per populum solvi hæc*  
*lege possuramus. Neq; est querendus explanator aut interpret ejus a-*  
*lius. Non erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post hæc;*  
*sed & omnes gentes & omni tempore una lex & sempiterna & im-*  
*mutabilis continebit, unusq; erit communis quasi magister & impe-*  
*rator omnium DEUS; Ille legis hujus inventor, disceptator, labor,*  
*sui,*



cui, qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur. Hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cœtera, quæ putantur, effugerit. Atque ex hisce constare satis arbitror, ex imperio naturæ parentisqve Dei ac autoritate ejus pendere, quæ in Jure naturæ turpia, bona aut honesta esse designantur, quæ proinde universi obligamur, atque insuper pœna consequitur violationem ejus, quod ita ex imperato observari debeat, ut & observationem & præmium mereatur. Unde simul innotescit imbecillitas adsumptionis, quæ dissentientes concludebant. *A Jure naturæ atq; gentium abesse vim omnem coactivam.* An enim vobis minor est autoritas in divini numinis imperio, quo continetur Jus naturæ, quam in imperio humano, quo civitas regitur? an molliora jussa naturæ Dei quam potestatis humanæ? an pœnæ tolerabiliores, quas Deus in lege naturæ minatur, quam quas potestas humana lege civili sancit? Quum itaque Jura naturæ atque Gentium tantam in se vim atque efficaciam complectantur, in propatulo certè est, quantum opere illis hodiernum studeant, quin & studere debeant omnes, qui rerum summæ seriò & amore publicæ salutis, præsumunt. Quid si enim ejusmodi negotia, pro communi salutis patriæ stabilendâ, incidant, de quibus nec Ulpianus, nec Paulus, nec Javolenus, nec Gajus, Cassianorum aut Proculejanorum alius, nec deniq; Bartolus aut Baldus cogitare unquam potuerant, nonne ad principia Juris naturæ ac gentium recurrendû est deliberantibus & secundùm hæc quid tranquillitati publicæ, in partibus controversis sedandis, conveniat decidendum? prout memoriæ rerum & hoc & priori seculo in pacificationibus subinde gestarum abundè demonstrant: Sint e. g. alicui in satisfactionem sumtuum bellicorum, certæ provinciæ cedendæ, & hac ratione pax publica redimenda. Sit alicui fortalitium, alieni pro exigendis teloniis, in Instrumento pacis concessis, in limitibus territorii exstruendum; Sit negotium religionis componendum. Sit ratio aliqua & modus æquitati conveniens indagandus, qui persecutiones actionum contra debitores, ob calamitates bellicas, fortunis lapsos, aut nimio usurarum cursu aggravatos terminare

nare, ac majoribus incommodis, etiam tranquillitati publicæ  
noxii, obviam ire posset. Sit cum aliquo extero, v. g. Gallo  
de transitu per provincias, aut illi nobiscum paciscendum.  
Sit de commercio aliquo, cum illis, qui extra imperium sunt,  
agendum. Sit de Jure in captivos, de Jure acquirendi in bel-  
lo capta innumerisqve aliis in imperio aut Principatibus no-  
stris agendum. Attende quæso, an vel Florentinus vel Try-  
phonius, Bartolus aut Baldus fundamentum horum omnium  
suppeditare, ac modum & rationem, inconsultâ Juris naturæ  
ac gentium scientiâ, ponere possint. Vereor ne pudeas, si  
rem ex horum principiis & non potius illis, quæ inter gentes,  
ex Juris naturæ principiis, recepta sunt determinare velis.  
Hâc verò ratione innotuisse tibi arbitror usum pulcherri-  
mum Juris naturæ & gentium in statu rerum moderno, quamq;  
præclarum sit illis, qui ad rerum summam adspirant, funda-  
menta illorum fideliter posuisse, ut adeò satis causæ fuerit do-  
ctissimo Seldeno, quamobrem in præfation. operis jam tum  
laudatissimi *de Jur. Nat. ac Gent. juxt. discipl. Ebraor.* emphaticè  
scriberet. *Naturalis Juris peritiam non minus, nec alio ferè modo  
Juris universi, divini humanique, quod citra initia illa, positivum  
est, atque morum scientia exactiori conducere, quam sapientiam,  
quam appellant primam seu Metaphysicam, reliquis Philosophiæ  
membris, quæ sua ex illa mutuò accipiunt principia, seu quam artes  
purè mathematicas eis, quæ sunt mixtæ, aut Epochas in temporum  
motuumque ratione insequentium calculo. Neque absorbum esse  
dicere, ab Jure illo cetera vultifariam superinducta, velut surculos  
per insitionem accedentes, à trunco, cui inseruntur sustentari utique!*  
Quæ quum ita sint, mirum non est, Grotium nostrum à Proce-  
ribus magnis in partem curarum magnarum adsumi; inque  
instrumentis Reipubl. gubernandæ ab illis, qui domi forisque  
salutem Reipubl. quin & communem in primis patriæ felicitatem  
respiciunt, numerari. Manet ergò tandem summo nostro  
Grotio, scientiam Juris illius, quod inter populos plures po-  
pulorumque rectores intercedit, conscribi posse valde præ-  
stabilem.

Quum



Quum verò frustra de Jure suscipiatur disceptatio) Succedit Prolegomenorum pars II., in qua optimo consilio perpendit Grotius, quod scripturo sibi de J. N. & G. ante omnia contrà dissentientes explorandum sit, an sit aliquod tale Jus. Quum verò non una sit dissentientium ratio, ordine illos invadit autor, & non solum rationes illorum dubitantes solidè discutere, sed & occasione illâ originem Juris illius, & quemadmodum ac in quibus consistat, ex veris principiis deducere instituit. Initium verò totius negotii controversi adfert Carneades. Hic quum videret infirma esse, quæ, pro adstruendo Jure & Justitiâ, afferebantur à Philosophis, audaciam sibi sumit refellendi, quia refelli posse intellexit. Summa ejus disputationis, quam affert Grotius ipsis Lactantii verbis l. 5. *Divin. Instit. c. 16.* ad formam redacta est talis: *Quicumque naturâ duce suis student commodis, nullâque reliquorum sui similium curâ tanguntur, apud illos naturaliter Jus & Justitia esse non potest. Atqui homines naturâ duce suis student commodis &c. E. apud homines Jus & justitia esse non potest.* Contrarium verò hujus eleganter adstruit noster negando Carneadis minorem & arguendo à majori ad minus: Etenim: *Sine cætera quidem animantia commodis suis solum student, sed utilitatem propriam aliorum sibi congenerum sive similium respectu temperant, sequitur hominem multò magis utilitatis studium curâ sui similium temperare, Atqui cætera animantia id ipsum faciunt, E. Et homines multò magis.* Ratio consequentiæ est, quia homo est eximium animans, multòque longius distans à cæteris animantibus omnibus, quàm cæterorum animantium genera inter se distant. Hanc verò hominis à cæteris animantibus præstantiam probat Grotius à naturâ societatis ad humanum intellectum compositæ. Etenim: *Quicumque natura appetit societatem tranquillam, & pro intellectus humani modo in rebus, personis atque actionibus ad honestatem atque utilitatem ordinatam atque compositam, ille præ cæteris animantibus longè excellit. Homo naturâ appetit societatem tranquillam, & pro intellectus humani modo ordinatam. E. præ cæteris animantibus longè excellit.* Major est evidens. Minorem eleganter deducit Aristoteles 1. *Polit. 2.* cujus sententiam, quum

C

pro

pro more suo, elegantissimè exponat Daniel Heinsius Batavorum clarissimus, verba ejus huc advocare non pudebit. *Cæterum nihil, inquit, frustra agere naturam, eamque civitatis causâ multa fecisse alia, illud quoque probat, quod ad hanc aut similem societatem homo manifestè factus est. Eum enim esse animal civile magis, quàm sunt cætera, apes, vespes, formice, & id genus alia, ipsa res docet. Nihil autem frustra à natura est factum. Ea autem inter animalia cuncta sermonem dedit soli homini.* Opposuit se huic & Aristotelis sententiæ Thom. Hobb. qui in *Elem. de civ. c. 1. §. 2. & seqq.* negat, hominem ad societatem aptum nasci, sed disciplinâ potius ad excolendam societatem aptum fieri. Ratio autem ejus ad formam redacta est talis: *Quicumque infans, perque omnem vitam talis manens utilitatem fidei atque pactorum, quibus societas humana colitur, ignorant, illi ad societatem colendam non nascuntur, nec naturâ trabuntur, sed disciplinâ informantur atque instruuntur. Homines nati infantes, perque omnem vitam tales manentes, utilitatem fidei atque pactorum, quibus humana societas colitur, ignorant. E. Homines nati infantes ad colendam societatem naturâ non trabuntur, sed disciplinâ informantur atque instituuntur. B. (1.) negando consequentiam majoris. Neque enim ad id, ut homo natura societatem colendam appetere dicatur, requiritur, ut statim, simulac in lucem edimur, ea quæ ad colendam societatem pertinent, actu cognoscamus, quippe quod ex Aristotele *l. 3. de anim. c. 4. text. 15.* abundè pateat, intellectum nostrum rasæ tabulæ similem esse, in quâ nihil dum scriptum est, etsi inscribi quidvis possit: Homo namque ante rationis usum nullas omninò propositiones, imò nec simplices illorum terminos apprehendere, multò minus veritatem ullius propositionis cognoscere potest. Unde quum infans ignorat, qui dicuntur parentes, utique ignorat quoque parentes esse honorandos. Sufficit ergò inclinatio naturalis cum potentiâ recipiendi actualem cognitionem fidei atque pactorum, quibus humana societas colitur. Vig. Horn. *Phil. Mor. l. 2. c. 2. num. 8.* Neque decedit hâc in parte quippiam, (2.) quod reperiantur in genere humano, qui per omnem vitam non cognoscunt, quid ad societatem colendam pertineat, quum in judicio*

cio de rebus ferendo non attendendum sit, quid fiat in rebus corruptis aut pravis, sed quid in integris, uti jubet Aristoteles 1. Pol 8. Secunda dissentientis ratio pendet ex hoc: *Quicumque ignorat pericula solitudinis, ille utilitatem societatis cognoscere non potest; Homo extra solitudinem vivens ignorat pericula solitudinis. E. utilitatem societatis cognoscere non potest. Per consequens E. societatem naturam non appetit.* Majoris consequentia patet: Contrarium enim contrarii negationem infert. R. Distinguendum est inter cognitionem distinctam atque confusam: Pericula solitudinis non cognoscuntur ab eo, qui in societate vivit distinctè, quippe quod omnia illa, quæ in solitudine ejusque periculis includuntur, perpendere non possit is, qui extra eam vivit, & sic quoad cognitionem distinctam ignoret, cognoscuntur tamen confusè, etiam si homo extra solitudinem vivat. Et quid? si planè non cognoscerentur pericula solitudinis, exinde tamen appetitus societatis non tolleretur. Negatur itaque consequentia majoris adductæ. Tertium dissentientium argumentum est. *Quicumque proprii commodi & gloriae causa societatem appetunt, illi naturam ad eandem non trahuntur, nec naturaliter eam appetunt. Homines proprii commodi & gloriae causa societatem appetunt. E. R. neg. minorem.* Quamvis enim illi, qui ratione abutuntur, ac appetitu quodam inordinato laborant, societatem proprii commodi causam appetant, ab illis tamen ad hominem in genere argumentari incongruum est. Relinquitur ergo Grotio nostro, hominem naturam appetere societatem, non tamen qualemcunque, sed talem, quæ rationi, quæ præ cæteris excellit homo, conveniens est, beneque pro personis, rebus atque actionibus ad honestatem atque utilitatem ordinata est atque composita. Hæc ergo ratione, ex conditione humanæ naturæ à cæteris animalibus differentis, eamque essentialiter consequente societatis appetitu eleganter contra Carneadem adstruxit, hominem non solum utilitatis suæ studio, sed eorum, qui sibi congenere atque similes sunt, comodo quoque trahi, jam porro id ipsum probat à natura infantum ad benefaciendum propendente hæc ratione. *Si in homine infante ante omnem disciplinam ostendit se*

*ad*

benefaciendum aliis propensio quaedam atque misericordia, sequitur, hominem naturam studium utilitatis propriae cum aliorum sui similium commodo conjungere. At qui in homine infante ante omnem disciplinam ostendit se ad benefaciendum propensio &c. E. Homo naturam studium utilitatis propriae cum aliorum sui similium commodo conjungit. Hanc verò sui similium curam tam in brutis animalibus, quam infantibus provenire ex principio aliquo extra naturam atque essentiam illorum posito, quia in utroque tam animali bruto, quam infante par intelligentia circa actus misericordiae & beneficentiae non apparet. Est autem principium illud extrinsecum activum, quod hic indigit Grotius, nihil aliud, quam lex aeterna in mente Legislatoris Dei posita, dirigens brutorum aequè ac rationalium actus, brutorum quidem per modum inclinationis naturalis, impositam necessitate parendi citra cognitionem & judicium, ad conservationem specierum tanquam societatis & praecipuè ad finem ultimum, quae est Creatoris gloria Dei. Rationalium verò per modum obligationis salvam subjecti dirigendi libertate obsequendi, uti pulcherrimè loquitur Dn. Johann. Strauchius Doctor meus sempernam pietate venerandus, Dissertation. ad π. I. §. 4. Jung. elegant. Dn. Georg. Calixt. p. m. Theolog. Moral. cap. d. LL. pag. m. 45. seqq.

Homini verò perfecta aetatis) Pergit in appetitu societatis excellenti ex *doxistia* & praecellentiam hominis deducendo, & cum Aristotele 1. Politic. 2. eleganter constituit instrumentum humanae societatis rationem. Quod si enim haec vera sunt in brutis atque infantibus, ait Autor, ut illa curam quoque sui similium habeant, nec ad utilitatis suae rationem tantum ferantur, quantum id magis obtinebit in homine perfecta aetatis, qui circa ea, quae sui sunt similia, similiter agere novit. Neque enim acquiescit is in solâ inclinatione ad societatem, quemadmodum bruta atque infantes, quae à principio illo extrinseco diriguntur, quippe quod ei, praeter facultatem sciendi agendi-que secundum generalia praeccepta, concessum sit alterum, idque praecipuum humanae societatis instrumentum sermo scilicet, quo in usus sociales & commodum sui similium disponitur homo, quoque utilia & inutilia, ac proinde iusta quoque  
ac

ac iniusta distinguuntur. Natura namque matrum optima  
uni homini præ reliquis animalibus hoc dedit, peculiare quasi  
propriumque donum, ut; quid bonum sit, per se cognoscere  
possit. Perspicue & disertè exprimit hæc Cic. l. 2. off. num. 50. ubi:  
*Sed quæ natura principia sint communitatis & societatis humane re-  
petendum altius videtur. Est enim principium, quod cernitur in  
universi humani generis societate, ejus autem vinculum est ratio & o-  
ratio, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judi-  
cando conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam socie-  
tate. Cæterum, quam rudi modo hucusque expressimus ho-  
minis ἀνοησίαν, optimè omnium depingit Michael Piccart. in  
Phil. Altorpb. disert. 14. de verit. lib. 1. seqq. In multis rebus præ cæteris  
inquit animalibus ἀνοησίαν quandam habet homo, quæ ipsa osten-  
dit libertatem ejus, in quâ perfectio non leviter apparet. Cernitur  
illa ἀνοησία primùm in partu & productione hominis. Reliquis a-  
nimalibus plerisque certum & definitum tempus est, quo edantur in-  
luce, homini non est, sed variat mirificè: cernitur in victu: edit  
homo genus piscium, avium, plerisque animalium, bibit hunc illum po-  
tum, aliter affecta sunt bruta. Observatur in aëre, quem item o-  
mnem fert homo, non etiam omnia animalia: in vestitu quoque &  
aliis externis adjumentis homo nudus nascitur, alia animalia pilosa,  
pinnata, squammata, potest tamen sibi ex aliorum animalium coriis  
aut lanâ vestes facere. Nascitur inermis, quùm aliis animalibus  
arma quadam natura tribuerit. Manibus tamen à natura instru-  
ctus est, quæ sunt instrumenta instrumentorum, quibus armorum  
quodvis genus apprehendere potest, quodvis instrumentum fabrica-  
re. Apparet idem in linguâ, cujus libertatem maximam habet ho-  
mo, neque enim ad hanc vel illam nascitur, sed cuicumque adhibetur  
ad eam sese accommodat. Eadem ἀνοησία & libertate utitur in co-  
gnoscendo. Quum enim reliqua animalia sensu solum cognoscant,  
homo & sensu & mente & intellectu res percipit. Jung. Aristot. 1. Po-  
lit. 5. & Cic. l. 2. de Nat. Deor. n. 154. in verbis: Restat, ut ali-  
quando doceam atque perorem. Mirum itaque non est, si quæ ho-  
mini perfectæ ætatis conveniunt, ea jam non omnium ani-  
mantium, sed humanæ naturæ consequentia. Unde satis con-  
spicuum est, atque apertissimum, custodiam societatis, quum*

humano intellectui conveniat, fontem esse atque originem Juris naturæ, quod exinde Jus Sociale, hoc enim Jus est, quod propriè tali nomine appellatur, & à societate appellationem suam accepit. Etenim: *Quicumque natura appetunt societatem tranquillam, & pro intellectus humani modo, in rebus, personis, atque actionibus ad honestatem atque utilitatem compositam atque ordinatam, illi quoque utile ab inutili, justum ab injusto distingvere, & Jus, quod societatem ordinat, atque componit, habere debent. Homines naturam appetunt societatem tranquillam & pro intellectus humani modo ordinatam. E. Homines utile ab inutili, justum ab injusto distingvere, & sic quoque Jus, quod societatem ordinat atque componit, habere debent.* Majoris consequentia est indubitata, & à nemine in controversiam vocari debet, quippe quod in ore omnium sit, ne eorum quidem, qui scelere & maleficio pascuntur, societatem posse sine ulla particula justitiæ consistere, uti eleganter exponit Cic. l. 2. de off. n. 40. quoniam ille ipse l. 3. de off. num. 28. disertissimè tradit, eum, qui justitiam evertit, funditus evertere societatem humanam. *Qui externam rationem habendam esse negant, hi dirimunt communem humani generis societatem, quæ sublatâ beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur, quæ qui tollunt, etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt, ab illis enim constitutam inter homines societatem evertunt, cuius societatis arctissimum vinculum & magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrabere commodi sui causa, quam omnia incommoda subire, vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitiâ.*

*Hec verò quam rudi modo &c.)* Ex hoc ergò, quod, pro custodiâ societatis obtinendâ, utile ab inutili, justum ab injusto distingvendum sit, descendunt quinque Juris naturalis capita à Grotiô hîc commemorata. (I.) Abstinentia alieni. Hanc enim natura in custodiendâ societate præprimis commendat, unde eruditè atque congruè ea cum præcepto de non nocendo sive damno alteri non inferendo conjunxit Cicero l. 3. de off. num. 21. ubi: *Detrabere igitur aliquid alteri & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam*

exte-



extera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & societatem; si enim sic erimus adfecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrupti necesse est illam, quæ secundum naturam maximè est, humanam societatem, quod ipsum num. 22. 23. 24. 25. ex societatis custodia à DEO inter homines institutâ & verè naturali latissimè deducit, & tandem §. 26. eleganter concludit. Ergò unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque, & universorum, quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consociatio. Ex hoc ergò Juris naturalis capite descendunt ea, quæ Grotius noster l. 2. c. 1. de defensione sui rerumque suarum, & à c. 2. usque ad c. 11. de eo, quod, quæ ratione & quamdiu nostrum est, deducit. (II.) Caput naturæ Juris ex custodiâ humanæ societatis devocatum ponit elegantissimè Grotius promissorum implendorum obligationem. Hæc enim est, quam natura omnium maximè à nobis exigit. Neque enim ulla res vehementius societatem civilem continet, quam fides, ait eleganter Cic. 2. de Offic. n. 84. ἀκέρων γὰρ γνομῶν τῶν συνθηκῶν, ἀήμιηται ἢ πρὸς ἀλλήλους χρεῖα τῶν ἀνθρώπων, Infirmatis enim violatiq; pædis tollitur inter homines commerciorum usus. Aristot. l. 2. Rhetor. ad Theodect. c. 15. Jung. Lips. l. 2. Polit. c. 14. Hinc est, quod Grotius noster tam sedulam atque accuratam disputationem de promissis, quo nomine omne conventionum genus ab antiquis interdum indigitatur. Vid. Bœcl. ad Prolegom. p. 58. suscepit, ejusque telum à c. 11. ad 15. perduxerit (III.) Caput Juris naturæ ex custodia humanæ societatis deductum est damni culpa dati reparatio, quam pertractat noster l. 2. c. 17. (IV.) est pœnæ inter homines meritum. Quia enim ab adolescentia viri proclivis ad malum sensualitas humana declinat, inquit Pontifex Johannes XXII. proæm. Clementinar. per quod morum subversio in clero & populo frequenter obrepit & necessaria est superioris autoritas, ut tam per determinationis opportuna suffragium tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat & obscura succidat, quam per cultoris surculum extirpet, virtutes inferat, corrigat excessus moresque reformet: Unde præmio & pœnâ societatem dixit contineri ex Solone Cicero Epist. 15. ad Brutum, & acer-

& acerbè exprobrat Verri *Accus.* quod homines deterrimos à morte liberaverit, *Perdita*, inquit, *ciuitates*, *desperatis rebus omnibus*, *hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vineti solvantur, exules reducantur, res iudicata rescindantur: Quæ quum accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam rempubl. hæc ubi veniunt, nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur.* Hinc est, quod & de hoc Juris naturalis argumento sedulò disputet noster *lib. 2. c. 20 & 21.* Ex his ergo quatuor capitibus proficisci ait Grotius Jus Sociale sive naturæ propriè strictèque sic dictum, cujus vigore defendimus, vindicamus aut explemus illa, quæ in societate nostra sunt, nobisque debentur vel ex pacto convento, vel ex maleficio, vel ex lege. Quæ ergò ex his capitibus quatuor descendunt, ea Juris naturalis propriè ac strictè sic dicti esse.

*Ab hæc Juris significatione fluxit altera largior atque amplior.)*  
Ait Grotius præter illam, quàm paulò ante proposuit, Juris naturalis significationem, ex quatuor Juris naturalis capp. descendente superesse adhuc alteram, eamque laxiorem atque ampliore. Nam & ea Juris naturæ dicuntur late sc. accepti, quæ etiam aliis in rebus, extra hæc quatuor capita existentibus, iudicio intellectus humani rectè conformato consentanea sunt, quum è contrario Juri naturæ repugnent, quæ ab ejusmodi iudicio discrepant. Hominem verò ejusmodi iudicio præditum esse, quo æstimare ac distinguere possit illa, quæ delectant ac nocent, eaque non præsentia tantum, sed & futura, insimulque ea, quæ in utrumvis sive utramque partem honesti atque turpis ducere possit, ita ut nec metu, nec præsentis voluptatis illecebrâ corrumpatur, aut temerario impetu rapiatur ex principiis moralibus satis patet, quibus docemur, tres esse animæ nostræ facultates, in quibus principatum appetere illam, cujus beneficio non tantum rerum naturalium causas investigamus, sed de omni etiam vitâ & actionibus consultamus & deliberamus. Hinc est, quod recta ratio id bonum iudicat quod honestum, sensus autem, quod jucundum est atque suave, quæ etsi coire interdum in unum possint, rarò tamen id fit & infida societas est, vid. Horn. *Phil.*

*Phil. Mor. 2. c. 1. n. 6.* Hæc quum ita se habeant, liquere satis existimo, quo pacto intellectus noster discernat ea, quæ delectant aut nocent, nec iudicium rectum metu aut voluptatis illecebra corrumpi sinat. Prudenter hanc in rem denuò Cic. *1. de off. num. 11. inter hominem & belluam hoc maximè interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, qui rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt eorumque progressus & antecessiones non ignorat, similitudines comparat & rebus præsentibus adjungit & futura annectit, facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam res necessarias præparat, eademque natura virationis hominem homini conciliat & ad orationis & ad vitæ societatem.* Illustrat hæc autor exemplo dispensationis secundum rectæ rationis dictamen, quo anteponimus digniorem minus digno, existimamus sapienterem minus sapienti, propinquum extraneo, interdum etiam, pro re nata, pauperem diviti. Hanc verò dispensationem multos, quamvis malè, ad partem Juris stricti retulisse ait noster, quippe quòd in eo tantum consistat, ut quæ sunt alterius; alteri intacta relinqvantur, & quæ promissa sunt, adimpleantur. Ast quemadmodum diversæ eæ acceptiones Juris iudicio auctoris confundendæ non sunt, quum interdum ut Jus perfectum & Jus imperfectum sive aptitudo distinguuntur. Ita dissimulandum non est, posteriorem hanc Juris significationem, ratione rei substratæ, modò propius alteri Juris rationem accedere, modò minus longè ab illo, quod convenit, abesse. Hæc ergò ratione Autor probavit à dictamine rectæ rationis faciendæ aut omittendæ designantis, dari aliquod jus naturæ humanæ conveniens: Etenim, *Quicumque habent iudicium ad æstimanda ea, quæ delectant aut nocent, non præsentia tantum sed & futura, illudque pro humani intellectus modo rectè conformatum sequuntur, inter eos jus & justitia naturâ intercedit. Homines habent tale iudicium. Sc: inque his iudicium rectè conformatum sequuntur. E. Inter homines Jus & justitia naturâ intercedit.* Majoris consequentia est evidens & eleganter deducitur à Cicerone *1. de LL. ubi: Non solum jus & inju-*

D

ria



ria à natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta ac turpia. Nam  
& communis intelligentia nobis res notas efficit ea, quæ in animis no-  
stris inchoavit. ut honesta in virtute ponantur in vitiis turpia. Hæc  
autem in opinione existimare, non in naturâ posita dementis est.  
Hanc verò dijudicationem ac dispensationem honestorum,  
atque turpium locum habere existimat Autor etiamsi daretur,  
quod sine summo scelere dari nequit, non esse DEVM, aut non  
curare negotia humana, quam assertionem non immerito pro  
αὐτόξω reputamus. Quum enim ratio, quatenus talis, simplex  
solum suadeat atque demonstret, nec jubeat aut ad officium ob-  
liget, nisi accedat autoritas alicujus, qui superior sit eo, qui ju-  
betur adeoque hoc legis proprium sit, facile constat, Juris na-  
turalis rationem sine imperio & supremi numinis indicatione  
vi solius dictaminis rectæ rationis, debilem & omninò nullam  
esse. Etenim: Quo remoto abest imperium atque obligatio legis  
naturalis, ibi vis atque effectus quoque ejus omnino deest. Atqui  
remoto Deo abest imperium atque obligatio juris naturalis. E. Re-  
moto Deo vis atque effectus juris natura omninò deest. Majorem  
eruditissimè; pro more suo solemni, ostendit Seldenus in lau-  
datiss. oper. de Jur. N. & Gent. juxta disciplin. Hebr. l. 1. c. 7. Unde-  
nam, inquit, obligationis causa reperitur disparitas, ubi universi ha-  
bentur pariter sui juris & æquales, nec incivile aliquod corpus socia-  
tum? At verò universos illos etiam i. e. totam gentem humanam in ci-  
vile corpus fingatur coaluisse, ac de aliquâ non solum vivendi, sed eti-  
am imperii formula consensisse adeò, ut jam inter illos principes præ-  
essent pœna insuper, sic ex nuda natum illis ex ratione violantibus  
prescriberetur. Certè nisi superioris etiam & hic accedat autoritas,  
atque jus ratione qualicunque singulorum superius, qui fides sic inita  
servanda, quo principibus parendum, quo pactis standum, quo de-  
mum universi simul, ut vivendo singulorum arbitria ac ratione vagâ  
pollentiori constringant, qui fieri potest ut naturalis aliqua, aut, quæ  
à singulis, pro lubitu & variante ratione, naturaliter solvi nequeat,  
obligatio refragetur, quo minus à fide imperio pactis, pœnarum præ-  
scriptione, omnibus tandem, in quæ sic consenserint, liberè quisque  
& pro arbitrio recedere queat: qualisnam verò revera sit obli-  
gatio juris naturæ & undenam petenda sit ostendit Seldenus  
graviter

graviter atq; judiciosè sequenti capite 8. & hic noster in verbis mox venturis.

*Cujus contrarium quum nobis partim ratio, partim traditio perpetua inseverint*) Egregiè planè hæc exprimit Seneca Epistol. 117. *Multum, inquit, dare solemus presumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, tanquam Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens unquam adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos esse credat. Quum de animarum eternitate differimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium. Cui accedit Cic. 1. Tuscul. Quæst. Omnes esse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum aut consensus efficit: Non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensu omnium gentium lex natura putanda est.*

*Sequitur jam ipsi Deo ut opifici sine exceptione parendum esse*) Jam tertium argumentum pro demonstranda juris naturæ existentia, desumit Autor ex reverentiâ Dei naturâ hominibus insita & sensu Divini Numinis non otiosè adspectantis; quid secundum aut contra jus naturale tam societatis custodiâ, quàm regendis actionibus destinatur: Hinc ratio colligendi: *Si Deus opifex noster, cui nos nostraque omnia debemus, premia reddit maxima illis, qui naturæ convenienter agunt, tam in societate custodiendâ, quàm in regendis actionibus cæteris, sequitur, quòd utique Jus naturæ detur; Atqui prius est verum. E.* Prius eleganter illustrat Seneca Epistol. 81. ubi: *Prope est à te Deus, Tecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum malorumque observator & custos, Hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.*

*Deo tamen adscribi potest*) Occasione ejus quod juris naturæ originem atq; existentiam ex verâ reverentiâ Divini Numinis deducit Autor, ostendit hic eleganter, quemadmodum illud ex principiis hominis internis & ipsius naturæ institutione quidem proveniat, D E O tamen id non immerito assignari & divinum adpellari possit: Egregia plane sunt quæ in hanc sententiam scribit Alphonsus de Castro l. 2. de eleg. penal.

e. 4. Jus naturale, inquit, illud est, quod ex ipsius natura institutione provenit, & hoc est hominibus commune, & hoc etiam est jus divinum, quia Deus ipse qui naturam condidit, est juris naturalis Auctor atque institutor. Si igitur jus illud ad conditorem referatur, divinum dicetur, si verò ad tempus ortus sui illud comparare velis Naturale dicetur, quia simul cum ipsa oritur natura & non postea per aliquam sive humanam sive divinam legem. Id ipsum quoque prudenti iudicio confirmat ex Jctorum censu Fernand. Vasq. l. 1. contr. illustr. c. 29. §. 14. Omne jus naturale, inquit, est jus divinum, licet ex diverso non omne jus divinum sit naturale, quum in multis sit supernaturam (quale est in cunctis Sacramentis Ecclesie) sit quoque jus divinum & naturale differunt inter se tanquam genus & species.

Accedit, quòd illa ipsa quoque principia) Quae huc usque de cognitione juris divini atque naturalis attulit Auctor, eam jam ab iteratâ juris naturæ promulgatione cum sacrarum literarum disciplinâ confirmat, quippe quòd principia juris naturæ in tabula Decalogi repetierit & magis conspicua fecerit, ita ut non tantùm illi, quibus adeò non facilis est vis ratiocinandi, sed & illi, qui ab affectibus pravis in diversa trahuntur, cognoscere possint, quo fine ac modo vagos suos adfectus imbecillitate humanâ corruptos coercere, atque intra terminos continere debeant. Hinc ratio colligendi: Cujuscunque principia Deus in legibus datis magis conspicua fecit, ita ut etiam illi, quibus imbecillior est ad ratiocinandum vis animi, ea capere possint, id ipsum reverà existit. Atqui Juris naturæ principia Deus in legibus datis adeò conspicua fecit. E. Jus naturæ reverà existit. Minor probatur; Si Deus adfectus naturæ vehementiores additiùs in SS. tabulis regit, & sine ac modo coercet, sequitur, quòd præcepta Juris naturæ ipse in SS. tabb. magis conspicua fecerit. Atqui verum est prius, E. & posterius. Prius probatur: Quocunque docet, homines ab iisdem parentibus esse ortos, & cognationem inter eos à naturâ constitutam esse, illud adfectus naturæ vehementiores coercet. Atqui Historia Sacra id docet. E. adfectus naturæ vehementiores coercet. Quo nomine pulcherrimè omnium Tertullianus libr. advers. Juda. cap. 2. ubi de interdicto arboris conscientia boni & mali loquutus adjunxit: Ex hac lege Adæ data omnia præcepta condita

ditā recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, id est, diliges Deum Dominum tuum de toto corde, & ex tota anima tua, diliges proximum tibi tanquam te, & non occides, non mœcha-beris, non fraudaveris, falsum testimonium non dices, Honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces. quæ & pari ratione colligit Hieronymus l. 8. in Esai. Audiant Judæi, qui se solos legem accepisse gloriantur, quod universa primùm gentes totusq; orbis naturalem legem acceperit, & idcirco postea lex data sibi per Moysen, quia prima lex dissipata est. Unde laudatus Hieronymus loc. supr. citat. legem naturalem appellat matricem omnium præceptorum divinatorum; Ante legem, inquit, Moysi scriptam in tabb. lapideis, legem fuisse contendit non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Nam unde Noe justus inventus, si non naturalis legis justitia prætendebat? Abraham unde amicus Dei deputatus, si non de æquitate & justitia legis naturalis.

Sed & historia sacra) Neque verò præceptis tantum inculcare Scripturam sacram affectum naturalem erga illos, qui societate nobis conjuncti, & sic existentiam Juris naturalis comprobare, sed & exemplis quoque id ipsum demonstrare, tradit hic autor, adeò ut vel argumenta historiae sacrae nos eam docere possint, quæ & Juris Consulti demonstrant cognationem naturalem debitamque erga illos, qui genuerunt nos, observantiam atque obsequium. Et hoc quidem sensu eleganter memorat Hieronymus ad Gal. 3. Per hanc, inquit, naturalem legem & Cain cognovit peccatum suum, major est causa mea, quam ut dimittar, & Adam & Eva cognoverunt peccatum suum, & propterea absconditi sunt sub ligno vite. Pharo quoque, antequam lex daretur per Moysen, stimulatus lege naturæ crimina sua confitetur & dicit: Dominus justus est, ego autem, populusq; meus impius. Hinc ultima concludendi ratio, quæ Autor & existentiam & originem juris naturæ demonstrat: Quodcunque ex naturæ ipsius institutione provenit, & ab omnipotente Deo, legis divinæ promulgatione robur accepit, id ipsum juris naturæ nomine omnino censei debet. Principia prima menti nostræ insita à naturæ ipsius institutione proveniunt, & ab Omnipotente Deo le-

gis divina promulgatione robur acceperunt. E. Juris natura nomi-  
ne omnino censei debent, & per consequens est jus natura.

Deinde verò quum Juris natura sit ) Hucusq; firmiter con-  
clufit atqve demonstravit Autor contra Carneadem & Scepti-  
corum scholam Juris naturæ & originem & existentiam, jam in  
parte amplificationis quasi juris civilis originem ob oculos  
ponit ejusq; fontem ab ipsius naturæ præceptis repetit, & per  
consequens originem ejus Juri naturæ adsignat. Certum nam-  
qve est, homines naturâ duce, in societatem civilem coivisse,  
non tam vivendi quàm benè vivendi causâ, quippe quod in  
hâc, indigentia sublatâ, omnem sufficientiam deprehendi pos-  
se, perspicerent. Quum vero quamplurimis ingenii modestiam  
deesse cernerent, ita ut solâ adversus DEUM reverentiâ agere  
nollent, quæ natura juberet, quum occultis plerumqve viis  
divina vindicta sese ostendat, quam plurimi contemnunt, quia  
illam deprehendere nequeunt, utiqve paci atqve societati in-  
ter illos conservandæ sola lex naturæ non sufficiebat, sed ne-  
cesse insuper erat, pacto constitui quempian ex ipsis homini-  
bus, qui inter illos Juris naturæ executionem susciperet. Quum  
enim Jus naturæ peculiariter non determinet, quisnam alteri  
imperare, aut quis parere debeat, nec mensuram pœnæ inter  
homines constituat, pacto sanè inter se inito designare debue-  
runt homines, qui in cæteros imperium obtinerent, cujus  
vigore regulas agendi aliis præscribere, & à transgressoribus  
eorundem pœnas exigere possent, prout bono publico expe-  
rire judicarent. Atqve ex his perspicua sunt, quæ adfert au-  
tor, *naturalis Juris matrem esse ipsam naturam humanam,*  
*civilis verò matrem esse ipsam ex consensu obligationem,* a-  
*deoque naturam hujus quoque Juris proaviam sive causam*  
*efficientem remotam dici posse,* quod evidentius patebit ex  
hac colligendi ratione: *Si obligatio illa, quæ oritur ex consensu*  
*illorum, qui in societatem civilem coeunt, ex jure naturæ originem*  
*habet, sequitur, quod & ea, quæ ex obligatione illâ proficiuntur,*  
*Jura civilia originem suam Juri naturæ debeant.* Atqui prius est  
verum, E. Prius probatur, quia ipsa humana natura homines  
ad societatem mutuum adpetendam impellit, adeoque obli-  
gati-





gationem ad servandum id, quod pro servanda societate illâ facit, à singulis, qui in societate conveniunt, exigit.

*Sed naturali juri utilitas accedit*) Fundamentum Juris naturæ sunt ea, quæ in se & suâ naturâ honesta sunt, huic autem honestati interdum accedit necessitas atque utilitas peculiaris hujus vel illius societatis, atque sic jus civile constituit, quod proinde ob necessitatem atque utilitatem peculiarem juri naturæ addit aliquid vel detrahit. Quum enim jus naturæ actus humanos circa personas vel rerum usum factave hominum versantes, universaliter tantum & in genere, secundum communem usum, definiat, nec tamen præcisè describat, quid circa statum personarum obtinere debeat, quomodo & quâ ratione quis de rebus suis disponere, vel alium sibi & se aliis obligare posse ac debeat, ideò hæc in re jus civile juri naturæ ob rationes civiles & varias circumstantias, Reipublicæ commodo svadente, superaddit. Detrahit autem juri naturæ ob eandem utilitatem atque necessitatem peculiarem, non quidem aliquid jubendo quod in se & sua natura est illicitum vel prohibendo licitum, sed ex ratione politicâ non ad sistendo juri naturæ, ita sc. ut ex justâ quâdam ratione vim atque effectum actu alicui deneget, qui aliàs, secluso ejusmodi jure positivo, effectum haberet, vel etiam permittendo nonnulla, quòd conditio rerum non aliter ferat, qui in etiam juri naturali detrahit jus civile, libertatè naturalè restringendo ob causas prægnantes atque commodum Reipublicæ peculiare. Jungatur Grotius *lib. 2. cap. 2. num. 5.* & Dn. Georg. Adamus Struvius, *Doctor meus etatè observandus, in Syntagm. Juris Civilis lib. 1. tit. 1. th. 38.* Præclarè hæc illustrat Albertus Bolognetus *lib. de Jur. & æquitate. cap. 18. §. 6.* *Generatim, inquit, concludimus naturam, ut aliis omnibus semper in rebus, ita in hoc maximè providam, plenissimè illa omnia nobis suggestisse, quibus ad vitam justè, piè & honestè degendam optimè instrui possimus. Quæ ut perfectè ac distinctè à nobis cognoscantur, sciendum est, bipartitam eorum rationem esse. Quædam enim sunt, quæ naturâ neque prohibentur neque imperantur, sed libero ipsorum hominum arbitrio permittuntur, ita ut possint homines liberè decernere, quæ pro locis & temporibus sibi magis expedire*

expedire judicaverint. *Quaedam verò sunt, quæ determinatè, ut ita dicam, naturâ imperantur vel prohibentur, ita ut ejus imperii vel prohibitionis mutanda nulla hominibus facultas concessa sit, in illis quidem maximè inspicitur utilitas, in his verò honestas ac justitia sola attenditur: Solaq; hæc postrema sunt, quæ ipsi natura præcipuo quodam jure tribui possunt.*

*Sed sicut cujusq; civitatis jura utilitatem civitatis suæ respiciunt*) Divertitur hic Grotius ad derivationem juris Gentium, illudq; ex communi hominum in societate civili viventium necessitate atq; utilitate devocat, *Quodcunq; enim homines ex ratione à Deo indictâ, ob necessitatem comunem atq; utilitatem, agendum colligunt, seu, quod, respectu universæ humanæ societatis & conditionis naturalis, ratio generaliter ac in universum inter omnes homines constituit illud Grotio Jus Gentium dicitur, quoties hoc nomen à jure naturali distinguitur.* Necessitas verò illa atq; utilitas, quam fundamenti loco agnoscit jus Gentium, spectat vel ad homines sigillatim consideratos, ex quâ ratio induxit illa, quæ ad homines intra terminos magis continendos faciunt, uti sunt gradus prohibiti, quædam verò circa res, usu & necessitate exigente, invexit, ceu jura dominiorum, contractuum, Magistratus atq; judicia &c. vel concernit ista commoditas atq; necessitas communis gentes diversas vel se invicem consideratas & eos qui sunt ex gentibus diversis, & exinde quædam, ob mutuam operam & indigentiam inter gentes, servantur, quæ est, quod altera gens alteri concedit libera commercia, liberumq; per terras transitum, de quibus videatur noster *lib. 2. cap. 2. num. 13. num. 19. & seqq.* Nec non quod altera gens alteri, quamvis fortean hostis, legatos non violet, quædam verò ut altera gens ab alterius vi se defendere, & vim illatam vindicare possit, introducta sunt ceu bella, rerum occupationes, & personarum captivitates, vid. Dn. D. Struv. *loc. cit. tb. 46.* Inde patet, quid velit autor, quando ait: *Inter civitates aut omnes aut plerasque ex consensu jura quædam nasci potuisse, & rata apparere, quæ utilitatem respiciunt, non cæcunum singulorum ad magnæ illius universitatis.*

*Quam*



Quam partem juris omisit Carneades) Jurene an perperam  
subsistunt viri eruditi, nam nec Carneades solùm, de quo con-  
queritur hinc Grotius, sed & Aristoteles multiq̄ve viri præclari,  
in divisione juris gentium jus omiserunt, ut adeò mirum non  
sit, ex junioribus multos eosq̄ve eruditos vulgatâ distinctione  
juris in naturale & legitimum seu civile contentos esse. Aut  
enim res, de quâ jus gentium agit, talis est, ut natura eam omninò  
jubeat, veterq̄, aut est talis, quæ apud omnes plerasq̄ gentes ex spe-  
ciali ratione obtinet, nec communem naturæ rationalis atq̄ socialis  
causam attendit, sin prius est jus naturæ, nec à dictamine rectæ ratio-  
nis & imperio Numinis divini consensum ejusmodi gentium necessariò  
inducens, tanquàm species singulariter distincta, considerari potest,  
sin posterius cum jure civili concordat, & jus civile proprium populo-  
rum non immeritò appellatur, nec peculiare jus gentium fingere ne-  
cesse. Hinc porrò: Quodcunque partim sub naturali, partim  
sub civili jure comprehenditur, id ipsum juris distincta species esse non  
potest. Jus Gentium partim sub naturali, partim sub civili jure  
comprehenditur. E. Jus Gentium distincta juris species esse non pot-  
est. Altera ratio, quæ Jus gentium peculiarem esse speciem  
negat, exinde dependet, quia gentes nec expressâ nec tacitâ  
pactione peculiare Jus constituere potuerunt. Hinc ratio  
colligendi: Quodcunque nec expressa nec tacita pactione intro-  
ducere potuerunt gentes, illud reverà tale non est. Jus peculiare nec  
expressa nec tacita pactione introducere potuerunt gentes. E. Jus  
peculiare gentium non est. Major est evidens, nam illa demum  
ratio juris gentium constituendi solida est, nec aliam præter  
hanc comminisci licet, quæ vel ab expressâ vel tacita gentium  
pactione descendit. Minor est bimembris, & quoad expres-  
sam pactionem facilè patet, quia ἐκ τῶν ἀδυνάτων & moraliter  
impossibile est, in unum convenisse gentes omnes aut mora-  
tiores, & pactionem expressam instituisse. Quantum ad ta-  
citam, quæ ex consensu omnium gentium pendet, ea non pa-  
rum difficultatis in se continet. Existimant eq̄videm dissen-  
tientes, sinque illis Vasquius, III. volum. controvers. illustr:  
lib. 2. cap. 54. §. 4. Ea omnia, quæ sunt juris gentium, fuisse prius  
non tantùm civilis, sed paulatim serpsisse aut velociter transvolasse.

ad gentes reliquas & regiones, & hac ratione, quum primum ab uno vel altero homine vel regione fuisset acceptum, tunc juris tantum civilis, non etiam id juris gentium esse, verum posteaquam illo jure omnes omnino aut plerumque aliarum gentium, ut quique cepissent, jam juris gentium effectum videri, inque jus gentium conversum atque transformatum, quemadmodum & ex diverso, si id, quod hodie juris gentium est, in desuetudinem abiret forte, an cepisset ita, ut penes unam tantum provinciam maneret, sine dubio gentium esse desineret, & jam juris tantum civilis esse diceretur, h. e. illius civitatis vel regionis, penes quam adhuc jus illud perduraret. Hinc vis ratiocinationis: Quodcumque per imitationem ab una gente ad aliam, atque sic tandem ad multos pervenit earumque consensum demeruit, illud tacita gentium pactio constitutum est. Jus gentium per imitationem ab una gente ad aliam, atque sic tandem ad multas pervenit. E. Jus gentium tacita pactio constitutum est. Ast responderi potest Vasquio negando consequentiam. Neque enim ista Jura gentibus inter se sunt communia ex aliqua conventionione aut obligatione mutuâ, sed ex placito peculiari singulorum legislatorum in singulis civitatibus constituta, quæ & proinde ab uno populo mutari possunt aliis inconsultis, quin & mutata sæpenumero deprehenduntur, secundò, non tam facile probatur, quàm à Vasquio fortèan fingitur, transportatio statutorum civilium, imprimis cum & de modo transportandi & recipiendi apud omnes gentes moratiores Vasquius altissimè fileat. Neque etiam fieri posse credibile est, ut, quod ab una civitate statutum, tam facile in notitiam cæterorum pervenire, & ad sensum demereri potuisset, vid. Dn. Bœclerum ad cap. 1. Grotii §. 12. & Francisc. Svaresium lib. de LL. cap. 6. Equidem dissentientium auctoritati nil detraho, differentiam tamen Juris naturæ & gentium in propatulo esse existimo, quia (1) Jus naturæ immediatè à Deo constitutum est, gentium verò Jus ab hominibus, adeoque humanum est atque positivum. (2) Jus naturæ necessitatem infert rei præceptæ ex se & solâ rei naturâ, quæ vel mala est, vel bona, gentium verò jus jubendo facit bonum, & prohibendo malum. (3) Jus naturæ in universalitate & communitate ad omnes gentes  
omni-

omnibus est commune, solumque per errorem alicubi servari non potest, Jus autem gentium non semper omnibus, sed regulariter & ferè omnibus commune est; convenientiam tamen aliqualem utriusque Juris non nego, quippe quod (1) utrumque sit quodammodo commune omnibus hominibus, unde & gentium Jus utrumque appellatur §. 1. & 2. de J.N.G. E. C. & l. 9. π. de J. & J. (2) quia sicut materia Juris gentium inter solos homines locum habet, ita & materia Juris naturæ omnium hominum propria est: vid. Dominic. à Soto t. 5. qv. 5. artic. 4. & lib. 3. qv. 1. artic. 3. Filliuc. d. 7. §. 7. Tr. 31. c. 1. num. 23. Hugon. de Roy de ω quod just. est. lib. 1. Tr. 2. §. 4.

*Malè autem à Carneade stultitiæ nomine justitiæ traditur*) Demonstravit hucusque contra Carneadem Grotius, dari quoddam jus naturæ gentium atque civile, nunc ad illa, quæ Carneadis opinioni cognata sunt, descendit, & imprimis quidem errorem perstringit, qui justitiæ nomine infamare non erubescit. Carneadis ejusque asseclarum ratio talis est: *Quicumque utilitatem propriam pro alterius commodo negligit, is stolidorum loco collocari debet, Qui vult esse justus propriam utilitatem pro alterius commodo negligit. E. qui vult esse justus, in stolidorum loco collocari debet.* R. Negando Majorem, nam & hæc ratione is, qui bonum publicum & commune postponit privato, stolidus esset, quod tamen absurdum est. Autor argumentatur à majori ad minus: *Si civis, qui in civitate ob reverentiam juris civilis quædam sibi utilia omittit, stultus non est, Sequitur nec populum esse stultum, qui utilitatem suam præ aliorum utilitate negligit.* Antecedens verum est ex confesso ipsius Carneadis, Consequentia probatur, quia in utroque cive atque populo, quoad utilitatis munimenta, ratio est. 2. Deducit autor contrarium ejus, quod Carneades statuit, ab inclinatione naturali ad observandum id, quod jus civile præcepit. Hinc ratio: *Ad quodcumque naturâ nostrâ ducimur, illud non stultitiæ sed sapientiæ nomine venit. Ad observationem Juris naturæ à naturâ nostrâ ducimur. E. Jus natura non stultitiæ, sed sapientiæ nomine venit.*

*Quare nec illud*) Dilabitur Grotius ad sententiam illorum,

rum, qui omne Jus à vi & metu cujusdam validioris arcessunt,  
& homines ad justitiam colendam vi adigi debere censent. Ra-  
tio illorum colligendi est talis : *Ad quodcunque observandum*  
*homines vi atq; metu coguntur, illud à naturâ proficisci non potest.*  
*Ad Jus observandum & justitiam colendam homines vi atq; metu*  
*coguntur. E. Jus à naturâ proficisci non potest.* Respondet  
Autor ad minorem, distinguendo inter Jus naturale & civile.  
De Jure naturali falsa est minor, & sic argumentum non con-  
cludit. Minor enim de justitia in universali vera non est, sed ad  
cas demum leges civiles pertinet, quæ ad faciliorem sui exe-  
cutionem vim atq; auctoritatem Superioris desiderant, quip-  
pe quod sine suo externo excidant nisi auxilium, vis atq; au-  
toritas præsto sit, Frustra enim est aliquid præcipere, quod im-  
pune potest negligi. Ex quo evenit, ut in omni, qui legem  
alteri laturus est, inprimis requiratur potestas adversus illum,  
cui lex injungenda est, eum in finem, ut, pœnâ propositâ, ad  
legis observantiam illum adigere possit, hinc etiam est, ut ne-  
mo obligetur legibus personæ aut cœtus alicujus, cui in ipsum  
nihil sit potestatis, & facultas injungendi aliquid per modum  
legis aut præcepti superioritatem infert; quemadmodum o-  
bligatio parendi arguit, nos inferiores esse illo, qui præcipere  
potest, saltem quâ imperium ejus se extendit. Leges itaq;  
civiles violentiam semper manifestè adjunctam habent, dum  
vel expressè pœnam determinant, vel, eâ non determinatâ,  
innuunt, arbitrio legislatoris esse relictum quodnam pœ-  
næ genus & quantum exigere velit. Inde quoque intelli-  
gitur, quo sensu legibus attribuatur vis obligandi, vis directi-  
va, vis coactiva, eatenus scil. quatenus voluntatem & decre-  
tum legislatoris indicant, insimulq; pœnas ostendunt, quas  
ipse legum violatoribus sit impositurus.

*Neque tamen quamvis à vi destitutum jus*) Provocat hic  
Grotius ad justitiæ effectum, qui vi destituitur & à conscientia  
provenit: Neque enim jus, etiamsi à vi externa deseratur, o-  
mni caret effectu, justitiæ namque neglectus malam conscien-  
tiam, tormenta & cruciatus, quin & horrendum judicium atq;  
vindictam Dei, non raro etiam in hac vita, secum ferre solet.

Ex

Ex quo jam consequitur, homines, etiam sepositâ externâ magistratus vindictâ, internæ mentis, affectu ad observantiam ejus, quod à superiori præscriptum est, adigi. Elegantissimum planè est, quod in hanc sententiam adfert Cicero lib. 1. de finibus, ubi *Justitia restat, ut de omni virtute sit dictum, sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo, nec divelli nec distrabi possit: sic de justitia judicandum est, quæ non modo nunquam noceat cuiquam, sed contra semper alit aliquid, tum visua atque naturali, quod tranquillet animos, tum spe nihil earum rerum defuturum, quas natura depravata desiderat. Quemadmodum temeritas & libido & ignavia semper animum excruciant & semper sollicitant, turbulentaque sunt: Sic cujus in mente consedit, hoc ipso quod adest turbulenta non potest fieri: Et si verò molita quippiam est, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen confidet id fore, semper occultum, plerumque improborum facta primò suspicio insequitur, deinde fama atque sermo, tum accusator, tum judex: Multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt. Quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse & muniti videntur, Deos tamen horrent easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, à Diis immortalibus supplicii causâ importari putant. Quæ autem tanta ex improbis factis, ad minuendas vitæ molestias, accessio fieri potest, quantum ad augendas tum conscientia factorum, tum pœna legum adeoque civium?*

*Quod verò multi quam à Civibus exigunt justitiam) Succedit opinio tertia illorum scilicet, qui omne jus privatis tantum, non verò toti civitati aut Rectoribus illius convenire existimant; Causam illius erroris exinde proficisci arbitratur Grotius, quod illi in jure nihil nisi utilitatem, quæ ex eodem oritur, spectent, hinc enim ratio inantur: Quodcumque omnia in se complectitur, quæ ad vitam recte tuendam necessaria sunt, illud opus habere non videtur ea justitia, quæ externa spectat & justitia appellatur. Atqui civitates magnæ omnia in se complectuntur &c. E. opus non habere videntur justitiâ, & per consequens Jus privatis tantum non verè civitati toti aut rectoribus illius convenit. R. Autor negando minorem, Nullam enim civitatem esse tam validam,*

quoniam aliquando exterorum ope indigeat. Junge Boxhornii  
1. Institut. Politic. cap. 11. num. 1. & 2. idque probat autor e-  
xemplo commerciorum atque fœderum. Unde ratio colli-  
gendi: *Quodcumque commercia cum exteris habet, & fœdera illo-  
rum appetit, illud non complectitur in se omnia, quæ ad vitam recte  
tuendam sunt necessaria. Atqui civitates magna cum exteris ha-  
bent commercia & fœdera. E. 2. argumentatur Autor contra  
dissentientes ab universali ad particulare. Si nulla est commu-  
nitas, quæ sine jure conservari possit, sequitur quod nec illa, quæ genus  
humanum, ut populos complures inter se colligat, sine jure conservari  
possit. Atqui prius est verum per illa quæ tradit Aristot. de socie-  
tate latronum atque piratarum. E. & posterius.*

*Graviter eos accusat Aristoteles*) Occasione illorum, quæ  
præeunt, non immeritò redarguit hic autor illos, qui ab impe-  
rantibus in rebus civium jus atque justitiam administrari, in  
exterorum vero causis illam negligi volunt, horum verò opi-  
nioni opponit orationem Themistii facundæ differentis; Regi-  
bus sapientibus non tantùm gentis sibi concreditæ, sed totius  
humani generis rationem habendam esse.

*Tantum verò abest ut admittendum sit*) Tractatum facit  
Grotius ad opinionem quartam, illorum quidem, qui existi-  
mant pacis tantùm non verò belli jura esse, quorum ratio col-  
ligendi est talis: *Quicumque bella inter se gerunt, illi omnia jura  
negligunt, & per consequens frustra aliquod jus in bellis queritur.  
Populi diversi bella inter se gerunt, & jura omnia negligunt. E. in-  
ter populos diversos bella gerentes frustra jus queritur. R. Autor  
limitando majorem, negligi ab illis, qui bella inter se gerunt,  
leges civiles judiciarias & pacis proprias, non tamen alias per-  
petuas, & omnibus temporibus accommodatas, in pro patulo  
namque esse bella ut recta sint non minori religione exerceri  
quàm judicia hoc vel exinde patere (1.) quia bellum nec  
suscipi debeat, nisi ad Juris consequutionem, nec susceptum  
geri, nisi intra juris ac fidei modum. Hinc ratio colligendi:  
*Si bellum suscipi non debet nisi ad Juris consequutionem, nec susce-  
ptum nisi intra Juris ac fidei modum geri, sequitur, quod Jus atque  
justitia in bello attendi utique debeat. Atqui prius est verum per ea*  
quæ*



quæ adducit Autor. E. & posterius. (2.) quia in negotiis bellicis, æque ac pacis, conscientia magnam vim habet. Hinc ratio: *Ubicunque conscientia vis attenditur, ibi jura non negliguntur, inter populos bella gerentes conscientia vis attenditur. E. inter populos bella gerentes leges non negliguntur.* Major est evidens, Minorem probat autoritate Historicorum, qui victoriam sæpe justitiæ belli atque conscientia assignant, vid: in primis Cromer. lib. 17. de reb. gest. Polon. Jung. Wilhelm. Neumeyer Tr. Germanic. de Pacification. cap. 8.

*Nec movere quæquam debent*) Occurrit hinc Autor objectioni, quæ antecedentibus moveri poterat ex prosperrimo iniquarum molitionum successu, ratio colligendi est talis, *Si in bello iniquarum molitionum successus sunt prosperi, sequitur quod in eo justitia non attendatur nec attendi debeat.* R. Autor negando consequentiam, quæ procedit ex accidente. Evenire enim interdum in bello, quod in rebus humanis omnibus, ut æquitatis vis ab effectu aliarum causarum impediatur.

*Etiam ad amicitias conciliandas*) Procedit autor in illis, quæ antea de fide in bello servandâ proposuerat, aliumque effectum fidei in bello custoditæ adducit. Opinionem namque ait de bello non temerè nec injustè sed piè suscepto conciliare amicitias aliorum, quibus populi in bellis gerendis plurimum indigent, cum nemo iis facile se adjungat, qui jus fas & fidem minimi putant: *Nihil enim magis indubitatum, inquit autor Dialogi de Pace pag. mihi 98. nihil magis privatis ac publicis exemplis confirmatum, quam eos, qui semel fidem fefellerunt, præter eam quam hoc nomine sibi pepererunt apud adversarios infamiam ipsam & apud illos fidem in posterum amittere, atque hoc suo perjurio meritissequi, ut accepti saltem non modo nunquam illis fidem amplius habeant, verum etiam, quibuscunque possint fraudibus, ipsos circumvenire conentur.* Huic accedit Sansovinus in Concret. Polit. *Illi homines gravissimâ infamiâ digni sunt, qui non curant infamiam neque fidem datam, nec pactiones juratas servare. Et quamvis magna infamia sit contra fidem datam agere, multò tamen maxima illa est contra conditiones pacis bellum denuo movere.* Nam si nec juramenta nec fides obser-

vari

vari debet, quid sancti remanet inter homines atque boni, per  
quod si firmare possimus, mirum non est, si rumpatur com-  
munis inter homines societas. Hinc argumentum: Si opinio  
de bello non temerè nec iniuste suscepto pieque gesto, ad amicitias  
conciliandas, aliosque populos ad partes suas pertrahendos utilis est,  
sequitur & ipsum bellum juste pieque gestum ad multa utile esse. At-  
qui prius, per antecedentia, est verum. E. & posterius. Hinc por-  
rò: Quodcunque ad multa praeclara atque justum utile est atque  
bonum, in eo jus atque justitia non negliguntur; Bellum justè pieque  
susceptum ad multa praeclara atque justa utile est. E. in Bello justè  
pieque suscepto atque gesto, jus ac justitia non negliguntur.

Ergo cum ob eas quas jam dixi rationes) Discussis illis, quae  
obstabant eaque ratione abunde communicis illis, quae institu-  
tum Grotii promovebant, divertitur ad tertiam Prolegomeno-  
rum partem, causam scilicet operis hujus suscepti scriptique  
impulsivam; hanc verò deducit ex duabus praecipue rati-  
bus, (1.) ut pudendam belligerandi licentiam, levibus aut  
nullis de causis inter Christianos usitatam, certis limitibus co-  
erceat. Hac verò dum indicat author leviter perstringit o-  
pinionem Johannis Feri & Erasmi, qui, respectu immanitatis  
bellicae, Christianis omnia omnino arma interdixerunt, & usum  
simul cum abusu tollere voluerunt, Rectene an perperam du-  
bitat Autor propterea, quod nimio contradicendi conatu et-  
iam dictis aliis intra veritatem consistentibus autoritas non  
rarò detrahatur.

Simul & juris prudentiam) Alteram causam operis con-  
scribendi ostendit, ut sc. specimen aliquod methodi accuratae  
in parte Justitiae perpetuae exstaret. Multos enim hoc institu-  
tum ante suscepisse, perfecisse neminè, propterea quod hacte-  
nus civilia sive ea, quae ex constituto veniunt cum naturalibus  
sint confusa, cum tamen illa, ob varietatem & mutationem, ut  
alia eorum rerum singularium perceptiones, extra artem posita  
sint.

Quod si qui verae justitiae Sacerdotes) Consilium hinc suppe-  
ditat autor non inelegans; quomodo in jus naturae recte atque  
cum fructu ab eruditis inquiri possit, si sc. sepositis iis quae ex  
volun-

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle  
002 381 974

3




sb.

7360



**A** **F** **o** **u** **n** **t** **e** **s** **e** **t** **o** **m** **n** **i** **a** **q** **u** **e** **m** **o**  
**u** **m** **u** **n** **i** **d** **i** **c** **t** **e** **s** **e** **t** **a** **l** **i** **q** **u** **a** **e** **s** **s** **e** **n** **t**



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

IO. PRÆSIDE. SUPREMO  
**GROTIANÆ**  
 TIO. PRIMA  
 IBENS  
**OLEGOMENORVM**  
 TATIONEM  
 DE  
**IENTIÆ. JVRIS. NA-**  
**VM. HVJVSQ. ORIGINE**  
 TEM. OPERIS. IMPVLSIVÁ. LI-  
 PRÆSIDIIS. ATQ. AVXILIIS  
 BENDO. ADHIBITIS. ME-  
 AC. GENERE. DICEN-  
 VRPATO  
 AM AD. COMITIA  
**ÆSIDIO**  
**ORTREJI. D.**  
 DISPVTO  
**BZEHEEM. KXUZE**  
 VRGENS.  
 S. PERPETVVS  
 AVGVST.

N Æ  
 OHANNIS. NISI  
 e lœ LXV.

